VIRI CLARISSIMI

A. MELVINI MVSAE

Et

P. ADAMSONI VITA ET PALINDOIA

Et

Celsæ commissionis ceu delegatæ potestatis Regiæ in causis Ecclesiasticis brevis & aperta descriptio.

ANNO M. DC. XX.

AD LECTOREM.

Cripſit poemata multa & varia vir ornatiſſimus, pietate & doctrina præſtantiſſimus Andreas Meluinus. Ego hæc paucula, quæ ſequuntur, publici juris feci. Sed quia abſque eius venia; gratum illi an futurum ſit hoc meum ſtudium neſcio: tibi tamen, Lector benevole, non ingratum fore arbitror. Rabula quidam forenſis potius quam verus cauſidicus Thomas Wilſonus, qui Voluſeni cognomentum elegantius ſumpſit, inopia & egeſtate coactus forum deſeruit & Londinum ſe contulit, ubi excudenda curavit & porro curaturus eſt opera quædam ſoceri ſui Patricii Adamſoni quondam Archiepiſcopi Andreapolitani. In deſcribenda cuius vita, & præfatiunculis Epiſtoliſque dedicatoriis, fortè etiam clauſulis ſuppoſititiis operibus ejus inſertis, illum in cælum laudibus effert. Et ut clarius eluceſcant eius laudes, ſimul depeculatur famam bonorum, qui erant eius coę-

tanei, ejuſque impijs & ſceleratis conatibus obſtiterunt: præſertim viri clariſsimi A. Meluini, depreſſa ætate jam agentis annum ſeptuageſimum ſeptimum. Famelicus iſte vidit quæſtum eſſe nunc jam multo uberrimum inſectationem piorum & orthodoxorum, quibus nequiter affictum eſt puritanorum nomen, ut eo nomine facilius ſynceros & pios Dei cultores opprimant. In quibuſdam laudat Meluinum, ut in falſis fidē ſibi pręſtruat. Eſt vir iſte clariſsimus omni invidiæ & exceptione major: viroſque illuſtres Ioſephum Scaligerum, Theodorum Bezam & alios habet laudum præcones: non ideo opus eſt illi meo encomio. Tantum deſcripſi vitam Adamſoni, & ejus palinodiam quæ lingua vernacula extat, latinè reddidi: In qua ipſum Adamſonum de Meluino & aliis præclarum teſtimonium perhibentem profero: & cum genero ſocerum committo. Subjeci brevem, & apertam deſcriptionem delegatæ poteſtatis Regiæ in cauſis Eccleſiaſticis, quam celſam Commiſsionem vulgo vocant, quæ eſt præcipua Eccleſiarum noſtrarum calamitas.

Epinicion Archiepiscopi

P. ADAMSONI.

Uper sanctulus ille, doctulusque,
Et disertulus, & loquutuleius,
Urbanus lepidus, nec infacetus,
Et dicaculus, & meracioris
Vini sorbulus, atque mattyarum,
Catillo, popa, splendidusque praesul.
Plusquam Episcopus, Baro, Comes, nec
Non Comarcha triplex, triplex Monarcha,
Archiepiscopus episcoporum,
Qui nunc fana profanat Andreana
Ventos gloriola serens, inanis,
Presso gutture, voculaque pressa,
Captator popularis acer aura,
Pompa turgidula, tumente fastu.
Qui de sacrilego profanus auro
Cogit, congerit, abdutum reponit:
Et de sacrilego profanus ære
Pitissat, bibit, exedit, voratque,
Quod centum viduas alat, ducentos
Symmystas alat, orphanos trecentos.
Nuper sanctulus ille, doctulusque
Proteus, Αλλοπροσαλλεὺς Ἀμφιλογοὶ,
Paeanas referens, canens triumphos,
Ostentans spolia ampla, perque opima
Absque sanguine, pulverisque jactu,
Et sudore parata glorioſus,
Sat superbulus & super superque.
Ah nescis miser, ah miselle nescis,
Quantum, inquit, valeant episcopatus
Ossa decrepiti! medulla quanta
Fractis effluat ossibus! culina
Hinc nidor venit, hinc saburra ventri,
Ori delitiæ, cuti sagina,
Æs, aurum, omnia quæ beant beatos.

Parodia in Robertum Mongomerium Archiepiſcopum Glaſcuenſem.

Glottiades Muſa paulo pejora canamus.
Non omnes ſuggeſta juvant, humileſque miniſtri
Si canimus cellas, cella ſunt præſule digna.
Vltima cumæi nunc tempus venit Aſelli.
Spurcus ab impuro porcorum naſcitur ordo.
Jam redit & lurco, redeunt ſatura omnia regna.
Jam nova proluvies aula demittitur atra.
Tu modo naſcenti porco, quo farrea primum
Deſinet & torto ſurget gens ferrea mundo,
Caſtra fave Bellona: tuus Mars regnat in illo.

Georgij Buchanani epitaphium. Obijt 28. Septemb. 1582.

Ergo ſilent Magni Buchanani in funere Muſæ?
Nec vatem Aonidum flet pia turba ſuum!
An ſecum Buchananus habet montem, unde Camenæ
Devoluunt maſtos murmura trunca modos?
An ſecum Buchananus habet fontem, unde Poetæ
Pieriis poti collachrymantur aquis?
Aonio fruſtra quæruntur vertice Muſæ:
Caſtalio fruſtra e fonte petuntur aquæ.
Pro monte eſt cœlum; pro fonte eſt Chriſtus: utrumque
Et Chriſtum & cœlum nunc Buchananus habet.
Hauſiſti hinc ſacros latices Divine Poeta:
Fudiſti hinc ſummo carmina digna Deo.
Hauriat hinc quiſquis Bachanani in funere mœret,
Ut vatum fundat carmina digna Deo.

Thomæ Smetonio Glaſcuenſis ſcholæ Moderatori. Obijt 13 Decemb. 1583.

Vix heu! vix raptum deflevimus Arbuthnotum;
Vix heu! juſta datis ſolvimus inferijs;

Et

Et premit altera mors, & funere funus acerbat:
Et magno extincto lumine majus obit.
Ille quidem arctoa tenebras de nocte fugabat:
Fulgebas medio Glaſcua ſtella die.
Quod ſi luce tua ſpoliata eſt noxque dieſque
Noſtra: eheu quantis obruimur tenebris?
Aut ergo e tenebris revoca lucem, aut hominum lux
Chriſte redi, ut nobis ſtet ſine nocte dies.

Dan. 2. Tyrannis. Coloſſus.

Haud equidem incompertum habeo regna omnia, gentes,
Imperiiſque urbes gravidas habuiſſe potentem
Bello aciem, pacemque & more & lege virentem,
Et res florentes, & fortunam uſque ſecundam,
Dum valuere domi venerandæ cana ſenectæ
Conſilia. At ſimul ac viridantis læta juventa
Munia prævaluere, & gratia blanda, feroque
Faſtu audaci animus, molliſque per otia luxus,
Illecebriſque ſuis ea corrupere voluptas,
Extemplo ſors verſa: pium caſti ardor amoris
Haud patria in patrem, aut patriam, numenne paternum
Amplius: haud fama, haud fidei, aut cura ulla pudoris.
Trux patrio pro more metus: pro lege libido:
Pro pietate neſas: pro religione furentis
Vana ſuperſtitio vulgi, Regumque voluntas:
Haud mora lapſa & opes, & flos robuſque juventæ
Marcuit, imperiique decus contabuit: ingens
Et virtutis honos, & laudis ſplendor avita
Extinctus. Mox miſſi omnes ſera ſub juga duri
Servitij, colloque graves traxere catenas.
Sic ſpecies horrenda, immani & mole Coloſſus
Præcellens ſplendore: caput cui primus aurum,
Brachia cui pectuſque argentea: æreus umbo
Ventris, & æratum latus: & vis ferrea crurum,
Commiſtaque pedum planta ferroque luteque:
Conſiliis crevit ſanis: decrevit iniquis
Artibus, & faſtu, & luxu defecit inerti:

Auſa Deo natos & Chriſti in nomen iturat
Mergere ſuneribus ſavis, nil tale meremes.

Apoc. 13. Poſterior bellua Agnum ſimulans, ſed Draconem exprimens, & effigiem imperij Rom. idololatrici eccleſiam perſequentis.

Terrigena, Agni inſtar fers cornua, dira Draconis
Verba vomis, animas, quam facis, effigiem.
Romana Romana fera fera nupera priſca
Æmula, quà vulpes, quà leo fraude truci.
Cujus coram omnem exerces blanda imperii vim:
Caſa matre viges vipera virus alens.
Cui tu cunque manu aut fronti ſtigma unguine inuris,
Mancipium & manceps ſit tibi jure tuo.
Sexcentos ſexaginta ſex clam te agis annos:
Prodis tergeminus Rex gemino enſe furem.
Regibus objectas libanda ad oſcula plantas:
Cæſaribuſque ferox colla premis pedibus.
Et dubitabis adhuc ſis præſul an archipoliua?.
An fera divina bellua picta manu?

Apoc. 17. Babylon.

Murice bis tincta, & gemmis auroque ſuperba,
Ebria ſanctorum & merſa cruore hominum.
Stupris plena tuis meretrix poc'la aurea miſcens,
Dementas Reges imperioſa: ferox
Montibus incumbis ſeptem, & compluribus vndis.
Nunc te odio vexant, qui coluere prius.
Fronte geris calatum ingens myſterium in auro:
Et dubitas, an ſis myſtica adhuc meretrix?

Monſtrum Fifanum anno 1599.

Nuper Fiſa tulit monſtrum quale Africa nunquam:
Caſſum oculis mentoque & naſo: in pectore ſummo

Dentibus

Dentibus exertis ingens fœdi oris hiatus.
Pro manibus pedibusque pedis simulachra lupini
Hinc atque hinc lateri & lumbis affixa sine ullis
Artubus: a tergo in scapulis pube horrida penis.
Scotia te tua monstra petunt: monstra horrida visu,
Cassa oculis sensuque omni: Lacerantque vorantque
Omnia præduris obscani dentibus oris:
Sed nihil humani possunt manuumne pedumne
Aut operâ aut usu: at pollent feritate lupina.
Ipsa humeris nil ferre valent; nil viribus ullis:
Sed fœcunda retro præpostera sacla propagant.

Pseudoepiscopus nascens.

Cœptum perfectumque nihil natura creatrix
Dat simul, ac modicis in cedit gressibus, ingens
Dum molitur opus. Sic parvo e semine sensim
Crevit, & occulto paulatim adolevit ab ævo
Ingens illa arbos, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.
Æmula naturæ sollertia magna minutis
A rebus capit orsa, graduque ignava senili
Procedit lento figens vestigia passu,
Pulchrum donec opus summa ad fastigia duxit.
Sic urbes, sic regna olim crevere parumper
Exiguis a principijs ad culmina rerum.
Non Babylon, non Roma die stetit ardua primo.
Non se papa prius capitoli in nobile saxum
Induit: & mundi immensas innasit habenas
Quam Pauli Petrique maderet cæde recenti
Roma vetus, tæda & Christus luceret in illa,
Qua stantes fumo ardebant & gutture fixo
Et latus in mediam sulcus deduxit arenam.
Verum vbi censum illi, mollemque per otia luxum
Pax diturna tulit, dominandi insana libido
Spiritui incessit turgenti, animoque tumenti
Paulatim, & diro complevit pectora fastu.
Tum sedis Petrinæ ultro deposcit honores.

Mox caput in toto summum vult dicier orbe
Cæsareis tandem insultans cervicibus omnes
Cogit adoratis prona oscula figere plantis.
Tantæ molis opus Papanum condere regnum.
Ergo naturam ars ceu cunctabunda magistram
Discipula insequitur: motu & molimine tardo
Subtendit, dum summam operi meta ultima ponit.
Nonne vides quæ stirps a densis pullulet aulæ
Caudicibus? multis hæc intermortua ab annis
Seminio e paruo nunc rursum erumpit in auras:
Parua sub ingenti patris se & subijcit umbra.
Quanquam mirum alijs, fœtum hunc quæ sera moratur
Segnities? naturæ agrum conamen, an artis?
Hæreat ut terræ defixus adhuc velut Anser
Bassæus nondum cernens vada cærula ponti.
Verrat humum cauda extrema, ceu lubricus angues,
Qui dum serpit humi sinuosa volumina torquet.
Haud aliter pulli investes desurgere nido
Defugiunt, donec validis cum viribus ala
Vesticipes creuere. vides verniliter ut nunc
Blanditur sympresbyteris synepiscopus ore
Arridens, conuiua bonus, facilisque vocatu?
Spondet opem stipis augendæ supra annua opima
Proximè ut exactus quos decurtaverat annus
Magmentum hos horno producat largius anno.
Illustres spernit titulos, contemnit honores,
Barbaraque aspernatur in ore vocabula vulgi,
Congressu, alloquio, accubitu se fratribus æquat
Collegasque sibi sociat: nihil arrogat vltra,
Præter fortunas, præter regalia jura,
Quæis sine nec potuere seri neque surgere messes.
Cætera par, similis summis, æqualis & imis.
Nec fraudi hæc credo est accomoda Synkaiabasis
Scilicet: haud quisquam credat nisi livor iniquus,
Invidus, iracundus, inexorabilis, & qui
Plus fellis quam mellis habet, cerebrosus & excors
Seditione potens, invisus regibus, æque
Præsulibusque: sibi caput horum & causa malorum

Que

Quæ (non tam Rege irato, Divisque sinistris,
Quam nostris odijs, clandestinisque susurris,
Quod per eum non sit crescendi copia nobis)
Est perpessus: & est porro passurus acerbo
Exilio, dulci patria procul atque propinquis:
Ni frustra augurium dictat mihi dira Cupido.
Dum Regem obseruo, dum Regi consulo, dum me
Curo, Palæmis totus dum pendeo ab astris,
Ni vates tam vanus ego, quam dente maligno
Invidus; ut qui illum vatem nil tale merentem
Curantemue: suis sed se intra limina curis
Servantem, Regis cælestis jura tuentem
Mordeo liventi vibice, & vulnere cæco
Improbus; usque adeo mihi res & gloria cordi.
At fruitur cælo & tranquilla mente serenus,
Quem pietas ardensque vehit super æthera virtus.

Iohannes Durius pastor ad Montem-Rosarum moriens Regem compellat anno 1600.

Compellat Regem divino carmine vates
Durius, in fati limine dulcis olor.
Inclyte Rex, mihi qui tam a Regum Rege secundus,
Quam re, speque omni, es rege priore prior.
Obieci vitam pro te vltro mille periclis,
Pro te vota polo millia multa tuli.
Quo pugnavi animo pro te, qua mente precatus,
Hac mente, hoc animo te precor unum obiens.
Ne regnum cœleste geras mortalibus ausis:
Neu sacer Antistes, Rex, tua sceptra gerat.
Mystica pertentet mystes, Regalia Reges:
Publica jure suo publicus ordo gerat:
Da Divina Deo: tua Rex cape: sint sua plebi:
Distinctum imperium sub Iove cæsar habet.

Ad Elizabetham Angliæ Reginam ægrotantem 1603. 8. calend. Aprilis.

Diva Dea stirps alma, Deo gratissima virgo,
Immortalis avo, & pace beata nimis,
Undarum Regina, Britannorum inclyta mater,
Terror Iberi, ingens religionis amor,
Et Scoto, & Gallo, & Batavo in discrimine rerum
Auxilium præsens, præsidiumque potens,
Flos laudum, & virtutis Apex, Regumque decusque
Gloria, & augustis invidiosa Diis,
Fœmineis animis animos incincta viriles,
Falla aquans, superans fortia, prisca novis.
Quintum an hic regnantem & quadragesimus annus
Cernit? & in sano corpore sanum animum?
Elisium an te Elisa vocat? vocet: aurea sæcla
Vixisti. Hinc vivendum & Rex Iacobe tibi,
Vive Deo: Christique decus regnumque propaga,
Quem qui Regem audit, Rex erit ipse sui.

Anno 1603 calend. April. Votum pro Iacobo Sexto Britanniarum Rege.

Gallus, Iber, Italus, Scotus pro divite regno
Anglorum certant, quis sacra sceptra gerat.
Gallus Marte, Italusque auro, atque Hispanus utroque:
Scotus jure omni, ac vi sine & absque dolo.
Tu Regum qui frena geris, qui flectis habenas
Regnorum: & nutu das adimisque tuo
Et regna & reges, Regum Rex optime, & idem
Maxime, jus sceptri ne sit ab hoste datum.
Gallo Hispanum, Italum Flandro committe domandum.
Quippe Angli in Regem te tibi Sexte vocant.
Sequæ tua dedunt fidei, & dextrâ oscula figunt.
Quod jus fasque jubent Rex Iacobe cape
Regnum, & lætus adi: Rege latior, optima serum
Dum Fredericum addat fors comitem imperio.

Calend.

Kalend. Aprilis 1603. ad Regem.

Scotangle Princeps optime principum,
Scotangle Princeps maxime principum
Scotobritan-hiberne Princeps:
Orte polo, nate, fate princeps,
In regna concors te vocat Anglia,
Te Vallia omnis; te omnis Iernia,
Et fata Roma: & Gallicani
Per veteres titulos triumphi
Addunt avitis imperiis novos
Sceptri decores: Orcadum & insulis
Hetlandicisque; & plus trecentis
Hebridibus nemorosa tempe,
Quâ belluosus cautibus obstrepit
Nereus Britannis: quâ Notus imbrifer
Quq Circius, Vulturnus, Eurus
Quadrijuga vehitur procella.
Cujus ruentis naufrago impetu
Vim sensit atram classis Iberica
Allisa flictu confraginosis
Rupibus, & scopulis tremendis;
Parvana quando gaza, Javanaque,
Absorpta vasti gurgitibus freti:
Romana quando turpe Cœlo
Ludibrium sacra debuere.
Differta fastu & fasta superbiâ
Hispana pubes, arma virum, & Ducum
Insignia alto bellicosos
Inter equos cecidere ponto.
Ceu massa plumbi mole ruens sua,
Pessum retento vortice mergitur:
Aut massa Cyclopum caminis
Versa petit Siculum profundum.
Tum militabat bellipotens tibi,
Iacobe, Iona, asperis aquilonibus:
Puppesque cœlo comminantes
Obycibus scopulorum acutis

Infixit, urgens, & tibi vindicans
Fatale regnum à cuspide Iberica:
Cujus cruentam diritatem
Vota vovens, prece & astra placans,
Tum es execratus, factus amicior
Anglis, professus concilio patrum
In gentem amorem fœderatam,
Inque tuum populum futurum.
Nec te futuri provida, & optima
Præsaga mens, & conscia numinis
Regem fefellit. Tempus hornum &
Lumine lux hodierna claro
Obsignat eventum. O nincum diem
Vernantis anni! O quam jubar aureum!
Elizabetha quàm serena
Lux animi, fideique candor?
Quantus Senatum, quantus & ordines
Fulgoris unis siderei vigor?
Quam gentem & omnem jam Anglicanam
Unanimem pius urget ardor.
Tui videndi incensa cupidine
Plebs flagrat immenso, Eripe te mora
Scotobritan-hiberne Princeps.
Vive diu populoque fœlix,
Gratusque. Votis & prece supplice
Rerum parentem concilia: & refer
Exorsa regni læta, sanctum
Christus imperium ut gubernet.
Frænans proterua regna licentia,
Laxans modesta fræna decentia,
Ut vera virtus verticem mox
Conspicuum super astra tollat.

Ad Serenissimum Britanniarum Regem
Ἐλεύσμα νουθετικοῦ.

Qui Martem edomuit Venus edomat acrior acrem
Henricum, excussit qui fera pontificis

Romani

Romani juga: dimidium & Chriſti imbre reduxit
Celeſti: & clero ſe caput impoſuit.
Edwardi pietas voluit regnare ſupremo
Chriſtum jure, ſed hunc mersit acerba dies.
Succeſſere facis Mariana incendia dira.
Extinxit lachrymis hæc pia Eliſa ſuis.
Chriſtus ab exilio nudus redit: ocyus albis
Præſulis Albani candet in exuviis.
Chriſti hic ſponſa meretricis Babyla oblita fuco
Vult compleu caſto in corpore virgineos,
Obteſtans deſiderium, quo tangitur, ingens,
Atque ſuas lachrymans fletque, refletque vices.
Hactenus obſtitit heu faſtuſque luxuſque gementi,
Linigeris ſavit fœmina Eliſa ſuis.
Sexte virum te virgo vocat divinæ pudicum
Redde habitum: inceſta ſyrmata tolle lupæ.
Sic tua te tibi nunc pacata Britannia cernat
Regnantem: & Chriſtus det tibi regna poli.

Conjuratio pulverea. anno 1650 Novemb. 5.

Regum Britannorum immeritus luet
Romane culpam, donec ab inferi
Caligoſo Ditis antro
Lullificas cieris Megeræ
Convexa verſit ad ſupera trium
Plantis ſororum dira minacium
Severioris diſciplina
Vindicibus, fidique pura.
Dixit Tridenti tergeminum caput
Rubente cinctum Concilio patrum:
Dixere patres mente ſeva
Carnifices, ſtygiaque fraude.
Sacra Senatus ſcita, neceſſitas
Fati tabellis ſervat æheneis
Parranda ferro, aut ſulphuris vi
Pulverea, liquidove plumbo.
Sacris litatis Miſſificum Orgÿx
Armantur acres Ieſuadum manu,

Et molis infanſto Adriana
Fulmine, Tartareiſque diris,
Vrbem relinquunt protenus: Alpium
Faſtigia alte ningnida tranſuolant,
Curſuque tranſmittunt Britannum
Oceanum, penetrantque Regnum.
Devota ſacris pectora eadibus
Inſtructa technis agmina bellicis,
Spinturnices manuſpicæa
Spintria, & ignivomi & ſalaces:
In tecta repunt Nobilium artibus
Freti doloſis, vellere & aureo:
Sed veſte mutata togiſque
Compoſitis ſagulorum in uſum.
Ceu militaris copia Mærtiis
Horrens maniplis, tecta adamantino
Thorace, torquens bubalinum
Tergus, & exuvias Leonis:
Pugnaſque verbis terrificis crepans,
Victoriaſque, & mœnia machinis
Quaſſata, deſertas & urbes
Civibus, & vidnata vura,
Millena quà tot millia Ibericus
Demiſit orco funeribus furor:
Peruana regna aut Mexicana
Depopulans. Fera Luſitani
Vis ſcepira latè protulit inclyta
Trans Gangis oras auriferi, Indica
Qua gemma fœtat: qua Iavani
Fronde nitent viridante Serum.
Romana virtus ſollicitudine
Depradicatur relligionibus
Solleri domandis: nec tiara
Sub triplici indocilis teneri.
Europa quamvis Africa & Aſia
Cervice depulſum abijciat jugum:
Quod Barbarorum vi ſubacti
Suſcipiant animi rebelles.

Ovid

Quid multa? quam nunc fœdus Ibericum
Prodesit Britannis, tam Batavis nocet,
Galliſque, Germaniſque, & Polonis
Ferre jugum pariter doloſis.
Nam perdomandis clarior ſtrala
Virtus ſuperbis hæreticis cluit:
Templariorum ut fata quondam,
Nupera ſic Pariſina clades
Fixit trophæum magnificentius
Multis triumphis. Tam potior dolus
Quam vera virtus: Fas in hoſte
Fraus varians per acuta bella.
Quæ ſera, quæ nos ſegnicies malè
Segnes moratur, cardine maximo
Rerum? Coit Regum patrumque
Concilium, procerumque plebis
Frequens, Britannia præcipuum, intima
Vis unionis, conciliabilis
Mens, & voluntas gentium una
Jubgere regna duarum in unum
Regnum ſupremo jure Britannicum
Unum inſtitutis, religionibus,
Cultuque divino, lege & una
Rege velut coaleſcit uno.
Quæ damna Roma & quanta, Britannica
Sub puritano Rege det unio?
Sub ſtirpe Regis, Regioque
Principe nunc quoque Puritano.
Quid puritanis imprecer hoſtibus
Quos blanda nutrix educat Anglia
Quam plurimos triſtes, ſeveros
Regibus haud ſecus & moleſtos,
Quam ut infulatis præſulibus ſolent
Priſciſque, necnon ipſi recentibus?
Quid peſte Regnorum, vel iſta
Tetrius eſſe queat nefanda?
Ceſſamus? inviſum hoc genus ocyus
Nunc ſulphurata pulveris impetu

Tollamus in ſublime denſis
Funeribus, facibuſque juxtà
Dum turba pleno in Concilio ſedent
Secura, fidens ſpes fovet optimas
De exterminandis, quos Papanos
Indigetant temere Antichriſtos.
Dictum atque factum. Subijcit adibus
Tigniſque junctis, materie & levi
Non nemo vivi ingentem nitroſi
Pulveris, ignigenumque funem.
O fel amarum! O triſtis acerbitas!
O dira fraus! O vis truculentia!
Eheu fides Papana pluſquam
Punica perfidia eſt ſceleſta.

In Georgium Gladſtonum Achiepiſcopum Andreapolitanum. Glade Miluum, ſtone Lapidem ſignificat.

Es lapis, & miluus: ante hic, pone ille vocaris,
Terrenus lapis & miluus aerius.
Sic terrenus amas terrena, hæreſque in ijſdem:
Cæli odio mutas cælica multa levis.
Terra hæres, cælum vertis, celeſtis ut erro,
Ceu non ſtella polo fixa, planeta vagus.
Non Sol, Luna, Venus, Saturnus, Iupiter aut Mars:
Sed vario inſtabilis nomine Mercurius.

In eundem.

Non veti accipiter tenſo, non Miluus hæret,
Et vetus & verum hoc, te quoq; teſte nimis.
Non Montis roſa te tenuit ſepta amnibus altis.
Amnibus hinc atque hinc Oceanoque mari.
Teque levem ſenſit tua Mernia, ter grege verſo,
Quantaque lana quinum deſerviſſe gregem.
Fœdere ter rupto triplici, ter lumina laſo,
Hunc ſextum invadis, gloria quanta gregem.

Septi-

Septimus inſtat agens apicem, & faſtigia rerum,
Scande, vola, volucrem te vocat aula ſuam.
Mobilitate viges, viget hac & mobilis aula.
Mobilitate vocat te levis aula levem.

Aliud in eundem.

Milnius iſte gregis ſexti qui jam ubera preſſat,
Et curno tenera ungue retentat oves;
Crede mihi Melnine tibi, tibi callidus inſtat.
Milnius iſte capax, milnius iſte rapax.
Te blandis petit inſidiis, te frandibus ambit:
Armet ut hoſtiles in tua fata manus.
Jnte acuit roſtrum incurvis ſuper unguibus uncum;
Summani quatiens regna triſulca Jovis.
Et dubitabis adhuc fraternum rumpere fœdus?
Nec ſupereſt vita cura tibi ulla tua.

Dum ſolus excommunicat inconſultis ſympreſbyteris

Ille ſui fidens properato Milnius auſu,
Dum ſe tollit humo, dum ſupera alta petit,
Prepetibus pennis, & fulminis igne coruſci
Fervidus, armigeri ſe Jovis inſtar agit.
Quoque magis prada infeſtis premit unguibus Harpax:
Hoc magis armigeri ſe Jovis inſtar habet.
At ſibi dum ſacros ignes ſic vindicat uni,
Non cavet, ut nidum ne cremet ipſe ſuum.

In eundem.

Bis præſul natus, bis præſul factus & ipſe,
Rem magnam præſtas Milnie ſi bonus es.
Bis ſpurius natus, ſpurius bis factus & ipſe,
Rem parvam præſtas Milnie ſi malus es,
Bis præſul, ſpurius bis natus, factus & ipſe;
Aut nihil: aut nihilo Milnie peſſimus es.

AEnos ex Plinio lib. 10. cap. 10. de Miluo.

Nonne rapax ſemper, ſemperque famelicus ales,
Accipitrum Miluus degener e genere eſt?
Nonne gubernandi vel cauda flexibus artem
Edocet, aerio dum natat in Pelago.
Milue rapax ſemperque famelice, degener ales,
Remigiumve poli dirigis artis iners?
Dirigis anguinea flexu & curvamine caudæ,
Sic recta incurvas, curvaque recta facis.

In eundem.

Paſtor es an præſul dubito. Te præſulis ornat
Et cenſu & titulo principis aura tui.
Paſtorem agnoſcit vulgi ſæx ima profani:
Nunc hunc, nunc illum plebs mediana vocat.
Quid quod & ipſe tuo maneas emanſor ovili?
Quam mage paſtor abes, tam mage præſul ades.

Pro conventu Miniſtrorum Abredoniæ. anno 1605.

Cui pro lege libido hominis, pro rege tyrannus
Fingitur: & pravè hæc fictio fiſta placet.
Hic aula eſt manceps, verna aula, & mancipium alui,
Legibus exilio, regibus exitio.
Sacra patrum ſi lege coit, ſi more corona:
Rege inconſulto non coit ergo ſuo.
Legibus humanis, divinis: moribus avi
Et priſci atque novi tum foris atque domi:
Exemplis patrum patriis, patrum peregrinis,
Hi coiere patres de meliore nota.
Invide quid carpis? quid damnas Zoile? Chriſtum
Non hos allatras, Zoile, quos laceras.

Perthi

Perthi 1606. Iul. prælatura.

Quale malum turdus ſibi, dum cacat, inſcius inſert,
Brumale in ſylvis frigore quando viret,
Fronde nova viſcum, quod non ſua ſeminat arbor;
Et croceo tactas glutine prendit aves:
Tale malum hoc ſacri fert ordinis excrementum:
Præſulibuſque nova ſorde renatus honos.
Luxuriantis anaritia, faſtuſque profani,
Dans damnum, & cunctis dedecus ordinibus.

In Bancroſtum epiſcopum Anglum.

Panſtrophe an ad ſolem caligas noctua? an omnis
Lux Chriſti in Scotis Angle tibi inuidia eſt?
Diſciplinam ergo Scotorum Angle obijcis Anglis,
Inviſum in Scoti nomine numen habes?
An quia Scotus init quæ ad cœlum ſemita ducit:
Angle tuum præceps in ſtyga flectis iter?

Aliud in eundem.

Eſt Geneua, eſt odio tibi, panſtrophe, & Anglia quanta
Sancta eſt, tanta tibi eſt Anglia & ipſa odio.
Et Scotos, Galloſque vocas in crimina; quantum
Terrarum & cæli eſt, totius omne odium es.

In Panſtrophi libellum famoſum.

Libri eſt Papa caput: carnali in cardine cauda eſt.
Vates Papa caput, victima cauda caro eſt.
Et vates mendax, & victima putrida: myſtes
Par vati, haud impar victima, vtroque minor.
Quum cauda & capiti ſint conſona cætera membra,
Putrida mendacis ſtercora ſperne libri.

Præſagiens crucem.

Cur poſt luſtra decem Rex arte obtrudit, & auro
Angligenum Scotis præſulem honore pari.

Quippe eſt Rex ubi nullus, ibi nec Epiſcopus ullus.
Regnorum hæc fœlix vnio pacta dnum.
Regem infœlicem infœlix dat epiſcopus, hæcque
Regnorum infœlix vnio pacta dnum.
At fœlix Rex fœlicem dat epiſcopum; immo
Chriſti vna eſt fœlix dote miniſterium.
At vati infœlici inſtat tibi carceris vmbra,
Quin Chriſti illuſtri lumine liber ego.
Te triſti exilio, aut fato mutabit acerbo.
Nec triſte exilium, mors nec acerba mihi.
Exilium a patriâ patrio me inducit olympo;
Mors pro Chriſto atrox vita beata mihi.

Dounamus in 1 Timoth. 3. Paſtores omnes epiſcopi uno eodemque nomine, & pari æquali que honoris jure complectitur. In myſterio autem ſeptem ſtellarum explicando ſolos epiſcopos Anglicanos eccleſiarum Angelos facit.

Paſtores fidos omnes nos Dounamus æquat
Præſulibus, laudi dum labor vrget opus.
Idem mox ſeptem ſtellarum arcana revelans,
Angelico hos vnos tollit in aſtra gradu,
Nos animas viles quibus vna eſt perdia, pernox
Cura gregis, vulgi in fœce relinquit humi.
Chriſte ducum lecti pecoris cordate magiſter,
Coge gregem: numerum non habet ille ſuum.
Si ſtella eſt ſacri gregis Angelus, Angelus Anglus
Præſul; & hic gemino ſplendet in imperio:
Quærere nunc reſtat qua ſtella ſit Angelus Anglus
Præſul, ut is gemino ſplendet in imperio.
An qua ſtella hæret cœlo ſcintillat ab alto?
Subtus an orbe alio qui vagus erro meat?
Portentum an terris metuendus crine Cometes,
Stella an ab axe in humum tracta draconis ope?
Et quam in ter terno tenet Angelus ordine ſedem
Ætheris? aut terræ? aut aquoris? haud Erebi.

Nam

Nam regnandi illi haud veniat tam dira cupido,
Vt Papa Cerberum tollat in aſtra caput.

In Saraviam Pſeudoepiſcoporum patronum.

Siccine ſerratos ſtringis Serravia dentes,
Tigna vorans Solyma jam recidiva nova?

Concio habita 1606. 28. Septembris ab epiſcopo Chicestrenſe poſtea Elienſi & eleemoſynario Regis de iure convocandorum Conciliorum.

Fac geminas tibi Moſe tubas lento ex argento,
Legifero vati legifer inquit Ias.
Ergo ait Andreas: tibi Rex tuba convenit vni:
Tu clangore tuba ſolus in arma voces
Seu ſacra ſive prophana: ſacros indicere coetus
Ius tibi, nec ſine te ſanctia corona coit.
Sic lecto in populo ſueti Regeſque Duceſque
Cogere, ſic coetus Cæſar in orbe ſacros.
Hæc memori Andreas mente, Hæc e fronte ſevero:
Quid ſi, ait, heu, ſacris ſæva tyrannis obeſt?
Pro ſe quemque ſacrum in coetum jus faſque coire
Certatim: vt Chriſtus lectaque turba docet.
Cæſare quos inconſulto, & clam præſide conſtat
Legitime coetus concelebraſſe pios.
Nec minuiſſe uſquam majeſtatem vllius vnquam.
Cultus & inuito principe ſæpe Deus;
Præſidio ſemper firmo qui cingit inermes,
Cui forti in Chriſto pectore dulce mori.
Fas tibi, Rex ſacros non ſoli cogere cætus.
Auſpice Chriſto etiam ſanctia corona coit.

In concionem Doctoris Barlo dictam Catecheticam.

Praxiteles Gnidia Veneris dum ſculperet ora,
Cratina ad vultus ſculpſit & ora ſua.
Divinum Barlo Paſtorem vt ſculperet, Angli
Præſulis ad vultus ſculpſit & ora ſui.

Praxiteles

Praxiteles Venerem ſculpſit Divamne lupamne?
Paſtorem Barlo ſculpſerat anne lupum?

In Aram Anglicanam ejuſque apparatum.

Cur ſtant clauſi Anglis libri duo regia in ara,
Lumina caca duo, pollubra ſicca duo?
Num ſenſum cultumque Dei tenet Anglia clauſum,
Lumine caca ſuo, ſorde ſepulta ſua?
Romano an ritu dum regalem inſtruit aram,
Purpuream pingit relligioſa lupam?

Reſpon. Iohannis Gordonij Scoti.

Cur ſtant in Domini duo clauſa volumina menſa?
Lumina caca duo pollubra ſicca duo?
Senſa Papa, cultuſque omnis ſunt clauſa Britannis,
Lumine caca ſuo, ſorde ſepulta ſua.
Dum gens ves ſacras pulſis erroribus ornat,
Purpuream pungit relligioſa lupam.

Reſponſ. Meluini.

Si Chriſti hæc menſa eſt, cur Miſſa eſt ſtructa paratu?
Cur verſa in tenebras lux, in inane latex?
Si ſenſus, cultuſque Papæ ſint clauſa Britannis,
Cur ſacra cum caſta Biblia clauſa prece?
Cur, quæ pulſa prius, præſto eſt caliginis umbra?
Quò calamiſtra trucis, philtraque blanda lupæ?

Barclaius pontificius in Arimachum.

Quid mirum eſt ſacram Miluinis vnguibus aram
Tentari: eſt animo non magis vlla rapax.
Harpyæ volucres olim fœdiſſima monſtra,
Sic menſa inſtructas diripuere dapes.
Atqui his virginti fuerat decor oris: at vncis
Vnguibus armata terribileſque manus.

O nimium

O nimium impuri, facies quibus illita fuco:
Dum reliquis puros se magis esse putant.
Ædes quisque suas ornabit divite censu;
Ornatamque Dei non licet esse domum!
Scilicet institui non aram sed cupis haram
Porcorum stabulum, quo venerere Deum.

Meluinus in Aricolam.

Si tibi nil mirum Miluinis vnguibus aram
Tentari, & mihi sit res ea mira minus.
Miluius esto rapax, esto ipsa harpya, secundas
Diripiat mensas, polluat ore dapes:
Virgineo volucris vultu, fœdissima ventris
Proluvie, ora fame pallida, adunca manus:
Sit centum geminus Briareus, sit Bellua lerna
Horrendum stridens, sit furor Eumenidum:
Sit Sphynx, sit Gorgon, sit forma tricorporis vmbræ,
Cerberus esto triceps, esto chimæra triplex:
Aut si aliud monstrum stygijs sese extulit vndis
Tristius, aut pestis sævior e barathro.
Quid miluo cum melle mero? quid hara generoso
Cum vino? an porcus Miluius iste tuus?
Augeat Augia stabulum prædivite censu,
Hæreat ara amens, sit recutitus homo:
Cumque sua crudus gladiator dimicet vmbrâ
Meluinum attingunt ista? quid iste ferox.
Heu nescis quid sit Miluus nec scire laboras.
Miluus apud Scotos, Archiepiscopus est.

Ad eundem.

Meluinum in Miluo quæris, confundere Miluo
Meluinum satagis, quid mihi quale chaos!
Meluinusne ovo natus quo Miluus eodem?
Meluinus Miluo par genio ingenio?
Meluinus terram calcât, secat aera Miluus:
Meluino passa est, Miluio adunca manus.

Melninus dulci Muſarum eſt percitus oeſtro
Milvius eſt roſtro perditus omnivoro.
Dum Melnina canit tuba, Milnia tibi jngit,
Quas Melninus amat, Milnius odit aquas.
Toto igitur caloque errat terraque marique,
Milni in Melnino qui putat eſſe animam.
Toto igitur caloque errat, terraque marique
Melnini in Milno qui putat eſſe animum.

Barclaius in Arimachum.

Quisquis is es coram qui verſibus impetis aram,
Et tacito ſummi crimine facta Ducis:
Auſus es o nimium, nimiumque audace cymœna
Quisquis es, & terras, & violare polos.

Melninus in Aricolam.

Scilicet iſte audax qui verſu enerberat aram,
Quam vertiſſe eſt fas, quam poſniſſe nefas.
At tu, quem tua religio male mancipat ara,
Aut verpum aut Myſtem relligione refers.
Quorum hic ſæpe ſuum numen trux mactat ad aram,
Quem ſemel ara atrox fixerat ille trucis.
Seu verpi ſeu miſta error te mancipat ara,
Te ſacra ſummano mancipat ara Jovi.
De duce quid garris ſummo terraque polique,
Quem terra atque poli fœna tenere negat.

In eundem.

Melninum ſuperos Deos Deaſque
Divos indigetes, Deos penates,
Summates, medioximos & imos,
Credo auſum violare; quod tacendo
Secum verſiculis meru, puſillis
Quaſiſſet modo, ſtans quid ara vellet
Regalis ſibi regio in ſacello,
Clauſis codicibus gravata binis;

Rimid

Binis Cerealis, utroque cado,
Binis malluvijt, utroque ſicco:
Quid talis tacite innuat paratus?
Quid cerussa & inane purpurissum?
Romanam referat lupam? an refutet?
Hoc Gallus, Batavus, Scytheſque, Iberque,
Quaſiuere palam diſertuleque:
Nec verſum hoc uatis, fuitue fraudi,
Aut Gallo, aut Batavo, aut Scytha, aut Ibero.
Hoc ceſſura ſuis Eliſa regnis
Haredi incluto, & imminente fato
Laudatur uetuiſſe, quod uetarat
Emergens roſeum ad jubar Corona.
Et Meluinus atroce virulentus
Verſu ſcilicet impius ſuperbus
Inceſſit, violavit, impiavit
Terrarum atque poli Deum Ducemque
Summum! o te inſipidum & tenebricoſum.

Ad Bancroftum Cantuarienſem.

Maxime potificum, cui candida carbaſus atra
Sublucet veſti, ceu nive carbo nitet.
Et terragonus apex cerebrum quadrare rotundum
It ſuper & circum, quadrat ut orbem opifex:
Quo referente, reus tetri ſub carceris umbra,
Nunc Regum infeſtis hoſtibus annumeror.
Et vitam in tenebris, ceu laſo numine, triſtem
Jucundo hoc cœli lumine caſſus ago.
Per te ego carbaſeum pictas veſtis amictum,
Per capitis quadrum, pontificiſque apicem:
Obſequium, obteſtor, ne ſit tibi culpa, vel error:
Ne vitium virtus: ne ſcelus officium.
Suſtinet ipſe duas æquato examine lances,
Callizans trutina vimque dolumque pari.
Unus ut Archiereus, ſic Archiepiſcopus unus,
Quæſitor, vindex, cognitor, autocrator.
Ne juſtum anticipes injuſto jure tribunal;
Judicium ſummi judicis ante volans.

Ad Regem.

Si veniſſem vltro, ſpectaſſem ſingula & vltro,
Et quæſiſſem vltro tunc mea culpa leuis?
At veni juſſus, ſpectavi & ſingula juſſus,
Quæſivi & juſſus, nunc mea culpa gravis?
Me cursum huc celerare manus, ſpectare voluntas,
Quærere mens juſſit Regis: adegit onus
Mole gravi graviusque poſitus incudibus Ætna,
Mens mea divina conſcia mentis onus.
Si Rex me juſſit, ſi me Deus ore ſubegit,
Unde ira? unde meum plectitur obſequium?
Hoc Belga, hoc Batavus, Germanus, Gallus & Anglus,
Hoc Lager, hoc Scotus quærit, & hoſtis Iber
Injuſſus, quod juſſus ego Regique Deoque
Quæſivi officio functus vtrique meo.
Solus ego plector, ſolum me fulmina tangunt,
Solus ego vulgi fabula factus agor.

Aſinus Balami.

Cum Balamitarum ſit tanta frequentia vatum,
Cur loquitur toto nullus in orbe aſinus?
Non Genius ſtat contra, aſinus non caditur, ora
Non reſerat muto, qui dedit ora Deus.

Duplex prælatura.

Qua libertatis tibi quinquageſima meſſis
Scotia cervicem ſub juga panda dedit,
Mancipio ſacri & civilis regni hierarchon,
Anglorum exemplo non ſine fraude mala,
Ad Glottam & Tameſim mutans quadrata rotundis,
Divina humanis, fixa volubilibus:
Tam diverſa duo natura atque indole regna
Jungit Regis ope pontificalis apex.
Dum luteo ſceptrum jungit, diadema tiaræ,
In caula atque aula mobilis ardelio,

Dum

Dum ſuprema duo ſcandit faſtigia rerum,
In ſtygias præſul præcipitatur aquas.

Bancroftius.

In ſomnis, ſi vera fides, bis Epiſcopus audit,
Viſurus ſtygij et regna profunda Jovis.
Ire quidem haud auſim ſublimis Epiſcopus altè,
Ne ſtygij inviſam regna profunda Iovis.

Epitaphium Bancrofti.

Invida Bancroftum nobis, heu, fata tulerunt.
Cui mors aqua bonis, vita benigna malis.

De tribus Lupis Grampianis indelebili charactere ad Tameſin notatis.

Præſulibus ſtigma impreſſum indelebile noſtris,
Mancipia ut ſiant peſſima ſtygmatia.
Threicijs compunctæ notis cui ternio ſervis,
Luxui? avaritiæ? non veneri atque gulæ?

Perfidiæ ab Epiſcopis Pannitefit.

Jurat in exemplum quod Chriſtus liquerat olim
Scotia tota frequens: myſtica turba perit.
Ut paribus ſtudijs Eccleſia ſancta regatur:
Serviat ut cunctis, qui prior eſſe velit.
Cum bene res denis bis ter procederet annis,
Ut noſcras certi ſtemina certa poli:
Quod non magnificis riderent tecta columnis,
Nideret pingues nulla culina focos;
Quod non fœcundo maduiſſet menſa falerno,
Culcitra nec lautos ſterneret ulla toros;
Quod non ſplenderent phaleratis tergora manni,
Nec decorent Seres terga ſuperba togis;

Quod non comitiis ſuffragia prima rogentur,
Nec vertant nutu publico jura ſuo;
Hem mutata fidem, contempto pampere Chriſto,
Nitiuntur ad ſummos inſula ſacra gradus.
Se vidiſſe negant verum: juraſſe profanum
Excuſant, queis nunc reſque decuſque placet,
Scilicet haud verum eſt, populo quod curat egeno
Chriſtus inops: ſed quod remque decuſque parit.

Diſtincta juriſdictio 2 Chron. 19.

Aſſides ſacra geminavit in urbe tribunal,
Conciliumque duplex, Judiciumque duplex,
Diſtinxitque ſuis cauſis, & rebus agendis,
Corpore quodque ſuo, præſule quodque ſuo.
Sic lex, ſic vates. confundere ſacra prophanis,
Divina humanis, barbara qua ratio?

Præſul Regalis.

Præſule Papano quod nos damnamus in omni,
Quodque in Romano Pontifice eſt vitium,
Præſule regali quid non damnamus in omni?
Qua virtus noſtri eſt maxima Pontificis?
Curia pro cura gregis aut incuria. Cura
Cui non ulla gregis, Curio an egregius?

Ligneus Epiſcopus.

Præſulibus prælaturas Rex præſtinat auro:
Lignea at apta magis præmia præſulibus.
Aureus antiquo florebat Epiſcopus ævo,
Tum cum ſacra eſſent lignea vaſa domus.
Ligneus hoc noſtro frondeſcit Epiſcopus ævo,
Quum ſacram exornant aurea vaſa domum
Porticibus Regem Antiſtes cur excipit amplis?
Frugi menſa fuit, dum caſa parva fuit.
Subſtruit inſanas cur celſa ad ſidera moles
Moribus it præceps Tartara ad ima ruens?

Aple-

A plebe & clero fiebat Episcopus olim:
Illum nunc Mammon, regia & aula facit.
Hospitio in parvo olim habebat Episcopus adi:
Arcem excelsam habitat nunc procul ede sacra.
In commune olim cum clero cuncta gerebat:
Nunc sine presbyteris omnia solus agit.
Canonica quondam scriptura interpres agebat:
Nunc pro jure sacro regia jussa docet.
Fratrum jure pari contentus Episcopus olim:
Nunc Regnum in fratres imperiosus obst.
Tum tenui stipe vitam ultro tolerabat egenam:
Nunc beat illum amplis copia divitiis.
Nunc opibus dives, picta vestis & auri:
Olim divitiæ in moribus atque animo.
In grege pascendo totus sudaverat olim:
Nunc mundi incumbit rebus & imperio.
Olim acolutho ibat, ceu Tros comitatus Achate:
Nunc septus magno Papa satellitio.
Tum capite obstipo, & spectanti lumine terram:
Nunc stupet elatis altra supercilijs.
Tunc vulgaris ei corpus velabat amictus:
Nunc picturatæ fyrmata laxa togæ.
Et tunica manicas & habent redimicula mitra,
Carbaseosque levis ventilat aura sinus.
Pileus in quadrum teretis de vertice surgit:
Et bis colla humilem purpura verrit humum.
Ni caudam suspensam ulnis gerat unus & alter
Vulpinam. O gerulis sarcina quanta tribus.

Regimen Ecclesiæ ministerium est, non Dominatio.

Quod regimen Christi in terris Ecclesia versat,
Forma ministerij est, non genus imperij.
Imperat ipse suis Christus Rex civibus unus,
Ipse suo & verbo, & numine corda regens.
Per quos instituit sacrorum rite ministros,
Et promos condos ipse domus Dominus.

Qui nutum obſervant Domini, qui juſſa capeſſunt:
Qui ſecus ac juſſi nil niſi turpe gerunt.
Non Papa, non præſul, ſi præſidet, imperet illum:
Vis Anthriſti hæc imperioſa trucis.
Opportunè importunè inſtant ore docendo
Atque monendo alacres, ac ſine felle patres:
Paſtoreſque, gregis quibus eſt cuſtodia cura,
Morbidulum curant ſuaviter omne pecus.

Allotrioepiſcopus.

Ille ovium cuſtos, anima qui prodigus alma,
Abluit ipſe ſui ſanguinis amne animas:
Paſcito oves Petre, paſce agnos, paſce, inquit, ovile:
Quo magis iſte mei flagrat amore animus.
Palantem ergo gregem paſtor per teſqua relinquet?
Aula vocat. Chriſti ſcilicet urget amor.
Aula vocet Chriſti revocat quem caula vocatum?
Non te aula, aſt alium grandior olla vocat.

Arbitrium fratres inter cur Chriſte recuſet?
Judicio evadat mœcha profana tuo?
Officij anne tui veritus tranſcendere metas:
Sic famulos Dominum cogis ad officium?
Quod Domino haud licuit ſervo hoc impune licebit?
Scilicet & ſervus major erit Domino?
Te totum, integrum atque intentum occupet omnem
Quod pater impoſuit nate tibi officium?
Et ſervus mundi curas diſtractus in omnes
Officij implebit munia cuncta ſui?

Inſervire negant menſis, quos numine ſancto
Impleſti, ut canerent fata preceſque, viri:
At nos regnorum elati molimur habenas,
Quos regni ignaros res docet ipſa tui.

Tunne vetas, bone Rex, natum ſepelire parentem?
Tunne jubes ſervum te & tua juſſa ſequi?

Defunctos curent defuncti. An tangere curas
Mortales, curant qui tua regna, vetas?

Ne retro adspiciat dextram qui admovit aratro:
Prorsum eat: incurvus vomere sulcet humum.
Agricola athereo cœlum molitus aratro
Respicis? Euridices instar ad ima rues.

Pseudoepiscopatus restitui non potest nisi revocato Antichristianismo.

Non prius immersit sese civilibus undis
Romulei princeps presbyter imperij,
Successorque Petri, Christique vicarius ille,
Pertusa insessor masculeus cathedræ,
Quam titulum emisset generalis Episcopi: & esset
Toto œcumenicum solus in orbe caput.
Se Dominum Dominis prælatis omnibus unum
Prælatum omni instans imposuisset ope:
Et sal, chrisma, cruces, delubra, altaria, templa, &
Idola Barbarica muta sacrasset ope.
Multaque rasisset Monachorum examina passim:
Agminaque unxisset plurima Missificum:
Quæ nisi cuncta prius nigro revocâris ab Orco,
Nequicquam antistes Regia sceptra geras.

Si regale manu sceptrum prior Antichristo
Christiadum Antistes nullus in orbe tulit.
Sed ter centum annis prior exstitit Antichristus
Quam quaterent mystæ regia sceptra manu.
Quidni expulsum ergo revocemus & Antichristum,
Vt valeant mystæ sceptra tenere manu?

Agricolæ commissa tibi agricolatio fundi
Cœlestis: terram tu quoque jure colas?
Pascendi gregis incumbit tibi sedula cura:
Tene tui abs re operis cura aliena voces?

Tu Christi in castris dux, Christo sub Duce: curis
Implicitum vita tene placere Duci?
Credita fida tibi turris custodia ab hoste:
Turre relicta alibi tunc agis excubias?

Virque in feminea, mulierque in veste virili
Nec vir nec mulier. Neuter uterque quod est.
Rex divina gerens, Mystes humana gubernans
Nec Rex nec mystes. Neuter uterque quod est.
Mystes regna regit? Rex plebi sacra ministrat?
Sardanapale colum, tela Camille cape.

Prælatura duplex.

Justitiæ & pacis Rex olim, idemque sacerdos,
Unigenam umbravit duplici honore Deum,
Venturum in terras, verum unà hominemque, Deumq;,
Sceptrigerum & Judæ è sanguine sacrificum.
Cujus ad instar homo gestans sceptrum, atque tiaram,
Anti gerit Christi insignia sacrilegi.

Quod Christum oppugnat, quod perficit Antichristum,
Hoc sancto in Christi milite grande nefas.
Talis an ista duplex, ambitaque prælatura,
Qua misto imperio sacra profana gerat?
Hoc Christi edictum docet: hoc docet interdictum:
Christus & exemplo hoc edocet ipse suo.
Et primi artifices, qui fundamenta locarunt,
Quique sacro addiderant & colophonem operi:
Et quæ pura omnis primæva Ecclesia: & omnis
Depulit eversa quæ Babilone jugum.
Est ergo ista duplex, ambitaque prælatura,
Christi in sancto omni milite grande nefas.

Flamen.

Spiritum ut accipiat sanctum de more jubetur,
Regius Antistes, quem sacra ordo facit.

Hinc

Hinc aſpirat ad excelſi faſtigia regni,
Spiritum an hunc cœli ſpirat ab axe puer?

Hierarchia.

Si non expreſſa effigies, at imaginis inſtar
Romana alterius, bellua noſtra, fera eſt.

In præſules in magna Curia regni Scotiæ quod parlamentum vocant ſublimè ſedentes octob. 1612. Creditur eſſe Meluini.

Sublimi Curia nuper elati præſules
Sacrum ſedere Senatum exauctorantes.
Et auctorato præſulis imperio:
Immane quantum tumuere gloria!
Sedere in ſua cauſa Index, reus,
Et actor, aptus teſtis & tabellio.
Quicquid lubebat ſic licore docuit
Imperatorem bonum fœda meretrix. Iulia vir. Caracallæ Noverca.
At hæc pudorem velamento exuerat,
Vos ſericati nec pudorem tegitis.

In eoſdem.

Interrogati præſules
Cur deprædentur populum.
Reſpondent prompte præſules,
Cur huc conducti venimus.

Monſtrum AEtonicum. anno 1614. Sept. 20.

Iuxta Ætonam arcem Scotorum in finibus amne
Non procul a Tueda, limite & imperio:
Qui facit antiqui duplicis divortia regni,
Quod ſub rege una religione coit,
Mille & ſexentos poſt, partu a virginis, annos
Quarto anno & decimo, bis decimoque die.

Septembris, enixa parit matrona gemellas:
Vtraque distincta est corpore utrique suo.
Vertex vertici at est junctus, cerebrumque cerebro
Sutura: & calua calua: caput capiti
Mortua ab ortu una est: orta altera viva vopisca:
Quæ mox extincta est mortua & ipsa nece.
Prodigium horrendum! O me utinam præsagia fallant.
Portentumque minus vertat in hostis opes.
Verticibus junctis nodo infœlice duobus
Sutura informi est præsulis imperio.
Quo fato Anglorum Scotorum vita revincta
Tabuit: & lævo numine jussa mori est.

ANTICHRISTVS.

QVod vas lectum olim, & vectum trans æthera lætam
Cœlicolûm in sedem, atque aulam libantis Olympi
Ambrosium laticem, fata arcana auribus hausit
Non effanda homini, Suadæ & sapientia alumnum
Germanum, juvenem egregium, comitemque viarum,
Consortemque operum docet impendentia fata,
Instruit exemplis, monitis cœlestibus urget,
Et quo quemque modo subeatque feratque laborem,
Per varios casus, per tot discrimina rerum:
Quam densa virtutum acie, quibus ardua armis
Sancta militiæ pulchro in certamine pergat,
Axe vehens Euangelico, justam addere molem
Cepto operi, tectumque sacro & fastigia templo
Ponere; quæ æterni est Ecclesia numinis almi,
Firma columna, & fundamentum immobile veri,
Arcanumque ingens recti inviolabile cultus,
Credendum unanimi corde, & prompto ore fatendum est.
Vitalis Deus est in mortali indole factus,
Latè conspicuus: manifestò est numine ad auras
Redditus æthereas: vigilum est conspectus ocellis
Cœlestûm Angelicis, præconum est voce sonora
Gentibus edictus: terrarum est prensus in omni

Orbe

Orbe manu valida fidei conſtantis in ævum:
Ad decora alta polos ſupra eſt ſublime receptus.
Quippe aliud quam quod poſitum, quod mole ſua ſtat
Fundamen poſuiſſe nefas: hic terminus hæret:
Hoc caput: hoc radix: ſtructura hac norma: biformis hic,
Quem ſprevere opera, lapis arcu eadem arcet in imo.
Hoc ſuper, illa manu Regis innixa potenti
Sidera ſeptem, illi ſtellata in veſte miniſtri, Apoc. 1.
Qui liquidum infundunt laticem viridantis olivi Zach. 4.
In ſeptem, & flatu accendunt flammaque lucernas,
Ædificant argentum, aurum, gemmaſque nitentes,
Chriſto opulentum æternum, altum ſuper æthera templum:
Vel fundamento non moto deſuper addunt
Aut ligna, aut fœnum, aut ſtipulam crepitantibus eſcam
Ignibus arſuram; & rapidis cita pabula flammis.
Molimen cujuſque, & opus vis acrior ignis,
Luxque Dei clara, & vatum ſpirabilis ardor
Arguet: & trutina flammarum dividet æqua.
Cujus opus ſtet firmum exploratore camino,
Et validis rapidi tentatum viribus ignis,
Ipſe feret mercedem, & erunt ſua præmia laudi.
Ille at, cujus opus fumo vaneſcit in auras,
Ceu volucris vapor, aut nebula levis umbra fugacis,
Perpeſſus jacturam operis, damnumque laboris,
Non prius emerget flammis luſtrantibus ardens,
Quàm caſtam accendat Chriſti vis ignea mentem;
Sic quaſi per liquidum purus ſeruetur ut ignem.
At templum infrœnis violat qui numinis auſu,
Hunc ſævi infrænis violabit numinis ira,
Uſque adeo divina Deo ſtat gloria Cordi.
Quale Dei templum diro ſcelus occupat auſu,
Inceſtatque nefas, ſibi quod cultum arrogat omnem
Longè omnes ſupra Anguſtos, ſupra omne vocatum
Numen ſe attollens, ſummo & pro numine jactans,
Inſurgenſque polo elatis cervicibus alte:
Dum condit fidei articulos; dum jura reſolvit:
Dum ſacras figit leges pretio atque refigit;
Et torquet ſcripturam omnem, ſanctaſque tabellas

Invertit: queis vana addens ſua ſomnia præfert.
Quod ſceleratum, elatum, in ſertum in ſidera monſtrum
Conficiet divini oris ſpirabilis auræ:
Adventuſque Dei illuſtris torrebit in igne.
Qualis coccineo meretrix invecta caballo
Sacrilegis ſurrecto titulis, & honore Deorum,
Vertice ſepluplici ſurgenti in cornua dena
Veſte illuſa auro, & gemmis oſtroque ſuperbâ
Purpurea, & fratrum ſanctorum ſanguine fuſo
Ebria, plena tenens gemmata pocula dextra
Aurea, adulteriis plena ſtuprisque nefandis,
Et fœda illunie ſictarum relligionum,
Omnigenum informi de ſorde ſuperſtitionum,
Virus inexhauſtum ſpumantia, lenta veterno,
Gentibus & populis Romano more propinat,
Dementans Ductorum animos, procerumque ſubactos
Decretorum armis: & traditionibus auctis
Ceu legum amentis, iaculatur tela triſulca
Tarpeia de rupe tonans: dum fulminat atros
E capitolinis vibratos arcibus ignes
Excelſam in cedrum, & proceras robore ſylvas,
Ceſareas acies, Regumque Ducumque catervas,
Armataſque manus, florenteſque ære Phalangas.
Inſcriptum pro fronte gerit myſterium, & orbis
Ingens ingentis nomen Babylonis, ut orbis
Proſtibulum, ut lupa publica, volginagumque lupanar.
Undarum Regina ſedet latè ardua, ſeptem
Montibus incumbens: & ſeptem Regibus aucta,
Quorum quinque olim ceciderunt, ſtabat & unus,
Nondum alius venit: venturus erat brevis avi.
Et fera qua fuit & non eſt, octavus & ipſe eſt,
Ex ſeptem his & is eſt: & nigris occubat umbris.
Pande trucem Dea caſta lupam, meretricis & artes,
Quaque fera vehitur capitum ſeptemplice turba,
Qua ſurgente altè ſe dena in cornua tollit
Bellua: quam ſtupet admirans vaſta incolaterra
Omnis, cui nomen tabulis vitalibus Agni
Mactati inſcriptum non eſt ab origine mundi.

Bellua

Bellua quæ fuit & non eſt: & gurgite ab alto
Emerſura iterum, ſæpe & reditura ſub umbras,
Cuius ubi caput eſt letali vulnere caſum,
Iulia ſtirps caſo de regno exciſa Neronę;
Curatum hoc vulnus lethale eſt: haud ſecus æſt Apo. 13.
Celitus alternante vices, Regeſque novante
Imperio per diverſas genteſque domoſque,
Stirps alia æque alia in regnum ſuccedit: eodem
Imperij ſumma ſtat firmo corpore ſalua.
Reges quinque illi, Galba, Otho, Vitellius, ambo
Inducti & belli duo fulmina Veſpaſiani
Occiderant: ceſo, vt Solyma eſt everſa, Nerone,
Exule Iohanne ſtabat, qui triſte venenum
Miſcuerat fratri, & fatali fraude parabat
Imperium ſibi, monſtrum inauſum hominique deoque.
Traiannus Nerua imperio deſignat habendo
Septimus octauum: quem ſecum conſul vt eſſet,
Imperij & conſors facit: is quoque ſeptimus ipſe eſt.
Præterea quæ dena decem ſunt cornua Reges, Apo. 17.
Qui nondum accepere ferocis ſceptra tyranni: Ap 13. 1F
Verum jus regni accipient cum bellua ad horam & 16.13.
Pſeudoprophetiſſæ: occidui qua oriturus ruina
Imperij: vnde decem conſurgent hæc quoque regna:
Africa & Ægyptus, Syria, Aſia, Gracia: nec non
Galli, Itali, Hiſpani, Germani denique & Angli.
Vnanimes hi mente ſuam vim, juſque cruentæ
Bellua in arma dabunt: Agno qui indicere bellum,
Quique Agno lecti comites ſunt pectore fido:
Et pugnare parant: quos vincet viribus Agnus
Inuictis, qui Rex Regum, & Dominus Dominantum eſt.
Hi Reges, hæc Regna decem cen cornua, ſævis
Vexabunt odijs meretricem, & triſtibus atram,
Deſertam & nudatam, & depaſtam ignibus vrent.
Hanc illis mens magna Dei mentem indit vtramque
In partem; vt viſum eſt ipſi quodcunque volenti,
Effectum dent illi alacres, concordibus omnes
Junctli animis: jus omne ſuum regnumque ſuperbæ
(Haud mora) dent in bella fera, ſortita ſupremo

Donec fata ſuos eventus finè coronent.
Hæc eſt quæ fuit & non eſt, quæ bellua præſto eſt
Et capitum variata vices, ſtat corpore eodem.
Naſci, denaſci; nec non & oriri, aboriri,
Alternante vices fortunâ, Regibus ipſis
Sæpius evenit ſummâ ſtante imperij vi.
Hæc ſeptem capita, hi Reges hæc cornua dena.
Apo. 17. *Illa autem multæ, meretrix quibus inſidet, vnda,*
Sunt populi, & turba, & gentes, ſunt denique lingua.
At mulier magna vrbs illa eſt, quæ Regibus orbis
Imperat: & latè rerum molitur habenas,
Septem quæ vna ſibi muro circumdedit arces:
Cujus tetra ferum reſerunt primordia finem.
Virgine Veſtali inceſto eſt Marte edita proles,
Vbere paſta lupæ; fraterno ſanguine muros
Imbuit olim, vrgens raptas ſine more Sabinas
Romulus: vnde vrbis Romanæ & ſtirpis origo:
Apo. 13. *Et monſtrum Ἐπταλαφενον & aquore cornua dena*
Emerſa vndoſo, & diademata cornibus apta:
Et capitum ſeptem prædonis nomen in albo
Sacrilegi dirum, & ſceleris lita gutta nefandi:
Dum ſibi mentitur titulos Dominique Deique:
Pardi inſtar: pedibuſque vrſinis: ore leonis.
Cui Draco ſeptem ingens capita alta, & cornua dena,
Vimque viceſque ſuas ceſſit, vireſque tyranno:
Cui caput inſtauratum admirans orbis adorat,
Pone ſequens. Quis par monſtro pugnaverit olli
Grandia jactanti, & virus dirum ore vomenti:
Inque Deum, ſedemque Dei, calique Quirites?
Cui fera ſuccedit terrenâ è ſorde levata
Cornua bina Agni ſimulans: ſed dira Draconis
Verba vomens: monſtrique prioris vimque vicemque
Exercens coram ipſo omnem: & miracula promens
Devocat axe ignem: & Diûum depoſcit honores,
Sceptrum addens regale apici, diadema tiaræ;
Divinuſque Hierarcha, humanuſque Archipolita;
Pſeudopropheta furens ore, armipotenſque Monarcha:
Mortalis Deus aut immortalis Cacodæmon,

Effigiem monstro simulans, animansque priori,
Æmulum: & effantem pragrandia, & ore tonantem
Dum caput aptum humeris, hinc trunco corporis, inde
Artubus inspirat crudum per membra vigorem:
Vnde trahit sensum, motumque Hierarchicus ordo
Paulatim, varioque gradu, longaque catenâ
In seriem, & seros per sæcula multa nepotes:
Numine sive Dea Carnæ, ceu Cardinis, auctus,
Vergit ad orcum imum summo delapsus Olympo.
Et facit accipiant omnes, magni atque pusilli,
Paupertate inopes jejunâ, opibusque potentes,
Mancipio servi in vinclis, nexuque soluti
Fronte notam, aut dextra signi vernilis inustam
Stigmatiæ, signati omnes punctisque notisque
Threicijs: vltro & citro ut commercia possent
Exercere, placet queis promercalis abusus.
Ne nisi compunctus vendat, ne præstinet vllus
Bullarum attellas, & pontificalia scruta.
Tantum juris habet stigma indelebile fronti,
Aut dextræ impressum, aut nomen numerusue ferini
Nominis. Est etiam humanus numerus numeralis
Obuius, & cuivis homini facilis numeratu:
Sive a Christi ortu sive a Christo rediuivo:
Sive a deletis Solymis, gentisque ruinâ
Sexcenti, Sexaginta & Sex insuper anni:
Quum firmata virum maturum reddidit ætas
Prædonem geminus sceleratum cinxit & ensis
Ipse pedum plantis, & calcibus ut premat altos
Induperatorum ceruices: & juga mittat
Sub sua Regum apices: Orcumque invergat Olympo.
Vsque adeo tria flabra obscæna ex ore Draconis, Apo. 1
Monstri ex ore prioris, & ore ex pseudopropheta 13.
Æmula raucisonis per stagna loquacia ranis,
Flantibus in terram Capitoli a culmine ventis,
Cardinibusque truci glomerantibus igne procellas,
Præsulibusque graves cogentibus æthere nimbos,
Missifices Monachi, mentiti nomen Iesu,
Romulidum de foce recens orti Scarabei

Prodire: & bella, arma, minas per regna ciere
Sulphureoſque globos flammarum ad ſidera ferre.
Quid memorem qua dira vomit maledicta profanus
Arbiter hic, aterna hominum Divumque poteſtas
Scilicet, ni ſuperis viſum, ſi credere dignum eſt.
Ut pauca ex multis delibem: ex vngue leonem.
„ *Quod Papa Romanus vult, norma eſt juris & aqui;*
„ *Quod Papa cunque facit, ratum habet Deus at here in alto*
„ *Poſſe Papam quodcunque Deus: par, aqua poteſtas:*
„ *Cumque Deo, Chriſtoque Papa commune tribunal:*
„ *Et major Paulo papa, major ſedere priſco;*
„ *Contra Euangelium ſtatuat Papa, ſcriptaque Pauli,*
„ *Articulos fidei condens, œcumenicumque*
„ *Concilium cogens, Decretaque ſancta reformans.*
„ *Si currus plenos animarum ad Tartara trudat:*
„ *Secum ipſe, haud quiſquam potis eſt contendere contra, aut*
„ *Dicere cur facis hoc? ſtat pro ratione voluntas.*
Hæc atque his ſexcenta alia haud meliora, Papana
Qua Canoniſtarum ſchola concrepat, omnia chartis
Illinit, obtrudens toti pro legibus orbi,
Quæſtor prava hereſeos, caliqne ſequeſter
Dictatore Papa, & ſancti plauſore theatri.
Nemo repente fuit turpiſſimus. Occulit atra
Clandeſtinus agens avum puer indole noxam.
Senſim animi gliſcit virus cum viribus auctis
Corporis, in nervum tendens erumpere tandem.
Ut puppis quaſſata vndis, compage ſoluta
Paulatim imbrem inimicum hamit, rimiſque fatiſcit,
Donec fiſſa vadis findat ſe effœta carina.
Ut vitio qua ſtructa domus, labefacta columnas,
Fundamento innixa putri, ſaviſque deinceps
Obvia ventorum furijs, crebriſque procellis
Paulatim concuſſa, trahit cum labe ruinam.
Vt qua lenta viget languenti in corpore tabes
Paulatim abſumit denſum cum abdomine pingui,
Et ſolidas carpit partes, populatque medullas;
Oſſa cutem donec terebratam exſtantia monſtrent.
Haud ſecus impreſſa gutta de ſemine Ditis

Conceptum eſt germen, geſtatum eſt tempore longo,
Materno & ſuum gremio, dum erupit in auras,
Mole aucta, diſrupto utero, molimine magno,
Monſtrum horrendum, informe, ingens; quod lumine caſſa
Paulatim & tenebris aſſueta nigrantibus atræ,
Suſceptum genibus, binis amplectitur vlnis,
Imperiique novi molem miratur opimam.
Cui fauſtis favet ominibus, ſponderique ſalutis
Auctori, Chriſtique vices, Petrique Cathedram:
Omnibus ut ſupereminet Paſtoribus vnus,
Pacatum & frœnet turbatis rebus Olympum.
Sic molem informem formare exiſtitur vrſus
Lambendo, & fingit partes, & membra figurat
Commenſum natura intra molemque modumque,
Paulatim donec collectis viribus vltro
Involet in prædam, quam devoret ore cruento.
Non ſimul advenit, ſimul eſt patefactum: videre
Natalis lux fatali diſcrimine longo
Diuitur: haud qua natus ea moriturus & ævi.
Duravit per ſæcla diu: brevioribus Agnum
Perſequitur, gradibus variis adolevit, & annis
Pluribus abſolvit numeros, quibus integrat avum.
Hæc qui confundit, qui non diſtinguit apertis
Luminibus, cornicum oculos configit: & atram
Ipſe ſibi obducit cæca caliginis vmbram.
Tantum noctis habet rediviva incuria lucis,
Haud videt ignavus verum, ſtupet inſcius ævi
Tardior: ignavum formidine, callidus arte
Diſſimulat: ſpernit curam, videtque prophanus
Sollicitam ſecurè omnem: populatur apertis
Hoſtis: & inſidias ſtruit atra inimicus in vmbra
Proditor: occurrentem vltro, vi & fraude morantur
Deprenſi in bello lepores, in pace leones.
Excuſant alij majorum exempla ſecutos
Credo equidem ipſi impreſſa premunt veſtigia patrum:
Suſtollunt turbam revocatam a limine limbi:
Suſpiciunt Delubra Deûm; celſa atria, & arces
Inſpectant, & opes, & demirantur honores:
Caligant ortanunc Inſci in luce ſub vmbris:

In peiusque ruunt lapsi retroque feruntur.
Tu Christum in cælis agnosce Britannia Regem
Flectentem in terris regni cælestis habenas:
Et septem in dextra stellas victrice tenentem.
At sceleratum hominem jam clara in luce retectum
Veridicis vatum dictis, & numinis aura,
Eventuque ipso properatâ everte ruina.
Hæ tibi erunt laudes, hæc clara tropæa, triumphus
Hic summus, revehens virtutem ad sidera veram;
Ejecisse lupam, catulos pepulisse, nefandi
Omnia detersisse solo vestigia monstri.
Quare oro Regem supplex, sanctumque Senatum
Poplitibus flexis; tendensque ad sidera palmas
Obtestor, diræ Christi per vulnera mortis,
Per patris ætherei constantis pignora amoris;
Si quis amor Christi superat, si numinis ardor.
Ut si quis, si quis quacunque e gente sit, Anglus,
Anglusne, Scotusne fuat, discrimine nullo,
Sive ego sive alius quisquam, quacunque sub vmbrâ
Relligionis: & obtentu pietatis avitæ,
Hoc fundamentum sinceri immobile veri,
Hoc arcanum ingens casti inuiolabile cultus
Vertere pertentet clam, aut violare laboret:
Aut ligna, aut fœnum, aut stipulam superexstruat audax,
Scripturas peruertendo, sanctumve negando
Legis Apostolicæ morem, fastum ambitione,
Mollitie luxum revocando ignobilis oti,
Aut cultus errore tuendo superstitiosos,
Igne peregrino patrios adolendo Penates,
Ignis ad examen qua vi, qua lege trahatur
In lucem, atque auram illustris sine nube diei:
Concilio in medio procerum, vatumque corona;
Vindice Rege, actore inimico, interprete verbo
Cælesti in tabulis divinitus inspiratis,
Exploretur, vbi convictus, atque revictus
Auscultatus, ibi dignum luat impius ausu
Supplicium importuno: ignominiaque notetur
Sempiternâ: atque exemplum statuatur in ævum.

VITA

VITA
P. ADAMSONI

PAtricius Adamſonus, vero cognomento Conſtanus (erat enim Patricij Conſtani pictoris filius) abſolutis ſtudijs, quibus ætas puerilis informari ſolet, ad Academiam ſe contulit. Decurſo ſtadio philoſophico parum tamen à Philoſophia inſtructus erat: verum manuetiores Muſas coluit. Quod exacto ſtadio Cathedram liberalium artium publicam tenuerit, ut vult præclarus ejus encomiaſtes, niſi forte in ludo aliquo obſcuro ad trivilia vocatus, non credimus: ſcholam aliquam illuſtrem in qua cathedram tenebat, monſtrari cupimus. Primis quatuor aut quinque naſcentis Eccleſiæ annis functus eſt munere paſtorali in Eccleſia Sirenſi. Sed cum ex ſacro miniſterio in tenuibus Eccleſiæ initijs ad luxuriantem gulam, cui ſummopere deditus, abunde ſumptus non ſuppeterent: animum a Theologia & ſacra functione ad Iuriſprudentiam traduxit. Deſerto igitur grege in Galliam proficiſcitur una cum adoleſcente filio Iacobi Makgilli, cui a parentibus pædagogus præpoſitus eſt. Primum Conſtantij, jam Adamſoni cognomentum ſibi impoſuit. Accingenti ſe ad iter vir Dei Iohannes Cnoxus maledixit, quod tam ampla meſſe & tanta operariorum penuria gregem deſeruiſſet, ut ea quæ ſunt mundi quæreret. In Galliam profectus non ultra Bituriges eſt progreſſus: Agrum Pictonicum, Patavium aut Genevam nunquã vidit, ut contra vult Wilſonus concinnator laudum huius ſanctuli. Iuriſprudentia leviter imbutus rediit in patriam, ducit uxorem filiam cuiuſdam cauſidici, quia cauſarum agendarum tyrocinium facere volebat. Sed cum in luce forenſi cum laude & lucro verſari deſperaſſet, inopia & egeſtate coactus ambire rurſus cœpit Paſtoralem curam. Opera Andreæ Haij viri humaniſſimi caſum miſeri iſtius miſerantis præfectus eſt Eccleſiæ Paſletenſi. Cum anno 1571 Epiſcopi quidam ab aula obtruderentur Eccleſiæ: Epiſcopos omnes in tria genera diſpertitus eſt palam in concione habita Andreapoli: Domini, nempe Chriſti, Epiſcopus, & hic eſt inquit ſolus Epiſcopus Paulinus: & Dominus Epiſcopus, hic eſt Epiſcopus pontificius, vel qui ad modum Pontificij dominatur, & Domini mei Epiſcopus, hoc eſt alicuius viri nobilis, qui Domini mei titulo apud nos ornatur, Epiſcopus,

& hic est noster Episcopus, inquit, qui iam nobis à dominis nostris ceu Nobilibus obtruditur, qui titulo beneficij, & redituum parte gaudet reliquum Domini illi nobiles, eorumque clientes percipiunt. Sed ex ægritudine & acerbitate animi hæc protulit, quia offam, quam ipse spe vel saltem desiderio devorabat, amittit & alius nempe Iohannes Douglassius Proregis Mortonij propinquus adeptus est. Vivis exempto Iohanne Douglassio Archiepiscopo Andreapolitano, iterum gregem deserui, & clam Ecclesia in aulam irrepsit, ut ibi concionatorem ageret, & aulicæ potentiæ suffragationibus ad Archiepiscopatum ascenderet, cuius titulum facile acquisivit. Sed cum anno 1575 & annis deinceps sequutis damnatus esset Episcopatus Diœcesanus in Synodis Nationalibus, post varios virorum doctissimorũ, tum publicos in Synodis, tum privatos in colloquiis, à Synodis imperatis non ausus erat Episcopalem jurisdictionem, quam affectabat, exercere. Imo damnavit sæpius: & abiuravit, & variis syngraphis, id ipsum testatus est. Cum tamen delecti à Synodo legati petissent ab ordinibus Regni, & sanctione Regis Senatu, ut libellum de disciplina ratum haberent, ille clanculum dabat operam, ne id fieret. Amatus Stewartus Obigneus Regis propinquus, Guisianorum cliens, qui anno 1580 in Scotiam venerat, & à Rege Dux Leviniæ & regni Camerarius creatus, Archiepiscopatu Glascuensi etiam donatus est. Is Robertum Mongomerium pastorem Ecclesiæ Sterlinensis titulo Archiepiscopatus ornavit & virum insulsum & stipitem excitavit, ut Ecclesiæ turbas daret. Virum istum prope insanientem, & occæcatum avaritia & ambitione clam etiam instigabat P. Adamsonus. Coactus est tamen ejurare Archiepiscopatum illum, in Synodo andreapolitana, sed postea ad ingenium rediit, & proinde tandem excommunicatus est. Patricius anno 1582 in gravissimum morbum incidit. Ingravescente morbo, & desperata salute veneficas consuluit, quarũ unius opera morbo levatus est, & morbus in equum ejus translatus est, qui in prato quodam prope Andreapolin pedibus sibi fossam jam morti vicinus cavavit; non sine stupore spectantium. Venefica in carcerem conjecta Patricij auxilio dimissa est clanculum, sed postea apprehensa & Edinburgi ob veneficia cremata est. Postquam annum fere integrum domi delituisset, & dolos animo versasset homo affabre factus, & quasi natus ad nectendas fraudes, ad adventum Regis in publicum prodiit, & cristas erigere capit. Pro suggestu acerbe insectatus est ordinem Ecclesiasticum & Nobiles reformatæ religionis

nis vindices & Regiæ cauſæ progugnatores fidiſſimos; adverſam politicorum vel Pontificiorum, qui in aula erant, factionem laudavit. Ob multa facinora ſibi ab Eccleſia metuens, à Regia Maieſtate Legationem in Angliam impetravit. Simulabat ſe profecturum ad aquas Spadanas valetudinis non ſatis adhuc firmæ recuperandæ cauſa: Cum tamen ſtatuiſſet in Anglia ſubſiſtere. Profectus eſt anno 1583 ineunte hyeme in Angliam, ubi ſe pro legato geſſit, & legatorum regum Galliæ & Hiſpaniæ, ſordidus & abiectiſſimus ille legatus, in dedecus gentis noſtræ maximum, ædes frequentabat. Pudet referre, quomodo ſe geſſerit etiam in morum civilitate, nedum aliis negotiis, ille qui ſe prolegato geſſit. Sed redeamus. In Anglia optimos quoſque ſive Nobiles ſive miniſtros inceſto ore laceravit: literis ad reformatas Eccleſias miſſis Eccleſiarum noſtrarum politiam ſiniſtris ſermonibus vellicavit: cum Epiſcopis Anglicanis nefaria conſilia in diſpendium, vel potius interitum diſciplinæ Eccleſiaſticæ contulit. Ante eius reditum Nobilium & miniſtrorum aliqui ſolum vertere coacti ſunt. Complanata iam via, ſtatim poſt reditum Adamſoni coacta ſunt Edinburgi Comitia Regni, quæ Parliamentum vocant legitima præmonitione Ordinibus non inſinuata. In his comitiis coactis Menſe Maio 1584. Adamſonus & Mongomerius conſtituti ſunt Epiſcopi, preſbyteria funditus evertuntur, Regi abſoluta poteſtas in cauſis Eccleſiaſticis decernitur &c. Dimiſſo Concilio ordinum, vel ſaltem eorum qui conuenerant, ſtatim ſævitum eſt in miniſtros; Vel oportebat obedientiam Parliamentari s Epiſcopis iſtis, & plurimis facinoribus coopertis polliceri, idque ſubſcribendo & ſubſignatis ſyngraphis, vel patria cedere, vel relegationis poenam luere, vel ſtipendiis mulctari, vel officio exauctorari, vel in carcerem conjici. Adamſonus edidit libellum famoſum falſo inſcriptum Declaratio intentionis Regiæ, in qua explanantur Acta Comitiorum, & ordo Eccleſiæ malefico deute roditur, & pij lacerantur. Iſtum libellum pro ſuo non agnovit Maieſtas regia: ſed aliam declarationem edidit Limnuchi anno ſequente Menſe Decembri. Non diuturna fuit iſta calamitas, vix unius biennij tempeſtas, & tantum hora, ut appellat Adamſonus in Palinodia. Nam ſub finem anni ſequentis Nobiles & miniſtri exules remearunt in patriam. Academia Andreapolitana, ad quam Meluinus anno 1580 literis Regiis & Senatuſconſultis Glaſcua evocatus erat, ſuo nitore efflorescere rurſus cœpit: & ſcholæ Marianæ, quas abſente Meluino pleudoarchiepiſcopus

copus

copus à Theologia ad Philoſophiam ceu potius otium & ſolitudinem traduxit, in priſtinum uſum reſtitutæ ſunt, & Eccleſia vindicias à ſervitute ſecundum libertatem aſſerta eſt. Excommunicatus eſt P. Adamſonus in Synodo Fifana, verum ſummopere contendit Rex, ne Synodus generalis excommunicationem illam ratam haberet, quod in ipſius gratiam multa commiſiſſet, quorum cauſa cenſuratum pœnam ſubijt. Sed nihilominus ratam fuiſſe ſententiam illam in cœlisipſius Adamſoni conſcientia poſtea teſtata eſt, cum anno 1591. abſolutionem & reconciliationem à Synodo Fifana iam valetudinarius efflagitaret. Adamſonus ab aula deſertus, omnibus exoſus, ad inopiam redactus, cum diuturno, in quem delapſus eſt, morbo conflictatus, anno 1591. fatis conceſſit. Multa prætermiſi, benigne lector, quæ ſcriptis mandare pudet, niſi illud à nobis invitis adverſariorum importunitas expreſſerit. Quæ jam retuli & quæ reſtant in Palinodia, quam ſubieci, ubi ipſum reum confitentem habemus, ſatis arguunt Sycophantam Wilſonum impudentiæ & mendaciorum, quibus eius Epiſtolæ dedicatoriæ, præfationes & alia ſcripta operibus Adamſoni inſerta, ſcatent.

P. ADAM

P. ADAMSONI PALINODIA.

8 Aprilis 1591.

Fratres, cum teneam, qua sit actionum Synodi adversus me ornata series, & pra incommoda valetudine me coram non sistere possim, ut edarem confessionem doctrina illius, in qua Deum spero me evocaturum ex hac vita & ut secundum ipsius beneplacitum in unitate fidei, Christiane de medio excedere possem: Operapretium esse duxi tandem scriptis exprimere, itidemque Prudentiarum vestrarum auxilium petere, non ad recuperandum pompam hujus saculi, aut primatum aliquem, qua parvi pendo; sed ad amovendum a me scandala, qua in hac patria, & presertim mea culpa, orta sunt, de discrepantia in doctrina. Qua in re, testor coram Deo, me simplici animo Dei gloriam solummodo intueri, & in qua, ipsius gratia, permanebo, donec mors diem extremum confecerit.

INprimis confiteor veram Christianæ religionis doctrinam palam promulgari, & rite annunciari in hoc regno: & averſor Papiſmum & ſuperſtitionem omnem ſicut &, benedictus ſit Deus, ſpatio annorũ triginta ex animo averſatus ſum, ex quo viſum eſt Domino me cognitione veritatis imbuere. In qua integro animo, & peregre & domi, verſatus ſum, teſtis eſt mihi Dominus, donec noviſſimis hiſce diebus, partim ambitione ductus & oſtentatione, ut fratribus præponi poſſem partim avaritia, ut ſcruta Eccleſiæ poſſiderem, ſuſcepi munus iſtud Archiepiſcopale, quod profeſſores ſinceriores jure culparunt, & damnarunt, tanquam ab officio veri paſtoris alienum. Et quamvis idipſum iufucare vellent eiuſque vitia variis integumentis obvoluere, à ſpiritualibus fidelium oculis celari tamen non poteſt: nec poteſt vir Dei id diſſimulare, cum vi conſcientiæ obſtringitur.

Deinde, fatcor me prius erraſſe in eo, quod ſentirem regimen Eccleſiæ eſſe conſimile regimini regnorum terrenorum, expreſſe contra mandatum Chriſti Domini noſtri: & monarchiam qua regitur Ec-

clesia non hærere in persona solius Christi servatoris, ut revera hæ-ret, sed etiam in ministris, qui tamen nihil aliud sunt quam vasalli seu clientes infra Christum, & inter se æquales.

Pœnitet me quod celebraverim nuptias Comitis Huntilæi, absque subsignata prius confessione fidei, & professione purioris doctrinæ, idque contra mandatum Ecclesiæ: & à Deo gratiam veniæ peto.

Quod operam dederim, tum argutando, tum aliis mediis Ecclesiam edictis Regiis obnoxiam reddere in causis Ecclesiasticis, & rebus quæ ad conscientiam spectant, unde non leves enormitates in hac patria consequutæ sunt, Deus misericors mihi condonet.

Quod crediderim, atque ita docuerim presbyterium, quod est institutum Christi, esse commentum ridiculum; atque ita ab omnibus censeri voluerim, Dei misericordiam imploro.

Præterea submitto me Dei misericordiæ & Synodi judicio, delicta mea & infirmitates sensu meo non dimetiens, sed sano Ecclesiæ judicio, cui me totum subiicio: & obsecro ut pro me intercedatis apud Deum: apud Regem etiam, (cuius gratiam ut lucrarer, quam hoc pacto demereri impiè cogitaveram, errores hos omnes commisi) ut habeam unde vivam, & reliquum miseræ huius vitæ tempus conteram.

Quod ad illud, quo gravatus sum edidisse librum qui inscribitur, Regis declaratio, in quo universus Ecclesiæ ordo damnatur, & suggillatur, testor coram Deo me scripsisse iussu illius qui tunc temporis erat Cancellarius & iussu N. qui tunc etiam in aula primos ordines ducebat; cuius stylo exaratum est secundum Parliamenti statutum de absoluta Regis potestate & authoritate in judicando a qua nemini licitum esset provocare aut declinatoria exceptione recedere sub pœna statuti, quam puto fuisse læsæ Maiestatis.

Quod ad illud quod insimulor damnasse doctrinam annunciatã & promulgatam à pastoribus Ecclesiæ Edinburgenæ de obedientia principi debita, fateor & coram Deo testor me nunquam aliud quid perspexisse quam sinceritatem & integritatem in ministris Edinburgenis, sive in hoc sive quovis alio articulo.

Ad hæc fateor me authore ministris interdictum fuisse stipendiis, qui non subscripturi erant actis Comitiorum, quod mihimet merito Deus rependit.

Quod ad violentam ullam consiliorum aut actionum rationem, satis

ſatis conſtat quis author fuit, & meæ partes exploratæ ſunt, cum Nicolaus Daglishius, Patricius Meluinus, Thomas Iacchæus & alij in carcerem coniecti ſunt.

Præterea fateor me conſilia verſaſſe cum Epiſcopis quibuſdam Anglicanis in præiudicium diſciplinæ huius Eccleſiæ, partim cum ibi eſſem, partim exinde per mutua commercia, magis ſtudioſe quam dignũ erat probo Chriſtiano, nedum fido paſtore.

Nec quicquam eſt cuius me magis pudet, quam toties antehac confeſſionibus, ſubſcriptionibus, proteſtationibus Eccleſiæ impoſuiſſe & illuſiſſe: quod iam & poſthac in æternum à me procul abſit, Amen.

Sic Subſcribitur.

Frater veſter in Domino,
M. Patricius Adamſonus.

Ad quæſita Synodi reſponſio.

P. ADAMSONI.

QVod ad meam, quam Prudentiæ veſtræ poſtulant, ſententiam de libello inſcripto Declaratio intentionis Regiæ, ea prolixius enarrata eſt in confeſsione quam iam exhibui, in qua omnia capita inibi comprehenſa damnata ſunt, ſicut & repræſentatis hiſce ſcriptis damno.

Quod ad illud quod quæritis quis caſus obtigerit commentariis Synodi generalis, ita res ſe habet. Integros ſervavi in reditum Nobilium & miniſtrorum ex Anglia: quod ſi non feciſſem, Comiti Araniæ in animo erat curare ut coniicerentur in ignem. Falcolandiæ quodam die, priuſquam traditi ſunt Regiæ Maieſtati, Epiſcopus N. una cum M. Henrico Hammiltonio diſcerpſit quædã folia, & ea, quæ adverſus ordinem noſtrum ulli uſui eſſe poſſent, idque me approbante.

Quod ad libros quos confeci, confeci nullum niſi commentarium in primum caput primæ ad Timotheum, quem miſi ad Regiam Maieſtatem, cuiuſque agographum nullum mihi ipſi ſervavi, & audio M. Iohannem Geddium accepiſſe à Rege, & dediſſe mutuo M.

Roberto Hephurno. Contexui item versibus librum Iobi una cum Apocalypsi & Threnis Ieremiæ, ut excuderentur in Anglia. Nihil præterea scriptis mandavi: tantùm in præfatione præfixa Apocalypsi indico me editurum librum inscriptum ptyllus, quem me morbo præpeditum ad umbilicum perducere Deus non permisit: & pauca, quæ confecta erant, abolenda curavi. Quod ad animi propositum: nec statui scribere, neque suppetunt mihi vires ut nunc scribam: & si, Deo propitio, ex incommoda valetudine emergere possim, mutarem stylum, sicut fecit Caietanus in Concilio Tridentino.

Quod ad Sutlivii librum editum in presbyterij ordinem & constitutionem, tantum abest, ut in illo opere consors sim, ut sicut non novi hominem, nec quicquam intellexi de opere, priusquam absolutum esset: sic, si Deo visum fuerit, ut longiore lucis usura fruar, adversus illam scripturus sum in contrariæ doctrinæ assertionem.

Præterea ista mea subscriptione damno quicquid continetur in epistola dedicatoria ad Regiam Maiestatem præfixa libro meo in Apocalypsin, quod scandalum ceu offendiculum præbet fratribus. Polliceor etiam me fratribus Edinburgenis aut cujusvis alius Ecclesiæ in hoc regno satis esse facturum in quacunque re jure sentient se & contra Dei verbum læsos esse ullis dictis aut factis meis, aut ulla actione à me orta.

Quod ad commentarium in primum caput primæ ad Timotheum, quia in eo continentur varia quæ offendiculo sunt, & spectant ad approbandum Episcoporum ordinem contra quam ferre potest Dei verbum, ea ipsa damno.

Oro ut fratres reducant me in gratiam, & recollectis mihi animis pacem coagmentent: & in condonationis signum ut vobis adlubescat huc accedere, ut à Deo & vobis veniam petam, quoniam obstante ægra valetudine ad Gymnasium, ubi convocati estis, transgredi non possum.

Paginis ante scriptis, à me M. Patricio Adamsono dictatis, & meo iussu à famulo meo M. Samuele Cunninghamio scripto exceptis, & in puris locis manu ejus ducta, subscribo manu propria ut à me agnitis, in conscientiæ sinceritate, & in Dei conspectu: coram his testibus á Synodo ad me legatis, quia ad ipsos præ imbecillitate corporis pertrahere non potui, Iacobo Monupennio

pitmil-

Pitmillio iuniore, Andrea Vodio Stravithio, Davide Moravio pro rata portione Arditio, M. Davide Ruſſello, M. Guilielmo Moravio paſtore ad Diſertum, M. Roberto Wilkio, Davide Forguſono & aliis.

Sic ſubſcribitur

Magiſter Patricius Adamſonus.
David Forguſonus teſtis.
Iacobus Monupennius Pitmillius teſtis.
David Moravius manu mea teſtis.
Magiſter Iohannes caldecluchius.
Magiſter Nicolaus Daglishius.
Andreas Vodius Stravithius teſtis.
Magiſter David Ruſſellus.
Magiſter David Spenſius.
Magiſter Guilielmus Moravius.

8. Aprilis 1591.

Ipſius P. ADAMSONI *refutatio libelli falſo inſcripti Regis declaratio.*

AGgreſſus ſum, morſu & aculeis conſcientiæ adactus ad ſcribendum adverſus librum inſcriptum Declaratio intentionũ Regiæ Majeſtatis, qui parum aut nihil continet intentionum ipſius Regis, ſed mei ipſius, cum hæc commentatus ſum, & prava conſilia eorum qui tunc temporis in Comitatu erant, & Regem minorennem circumduxerunt. De quo libro & capitibus in eo comprehenſis per me contextis mandato eorum qui tunc temporis aulici primarii erant, ut ante ſcriptum eſt, breviter ediſſeram, quæ ſit mea ſententia, quantum infirma valetudo & imbecillitas memoriæ ferre poſſunt.

Inprimis nihil continetur in toto libro, niſi mendaciorum aſſerti-

ones, Regiæ Majestati tribuentes ea quorum culpæ affinis non erat. Nam quamvis, ut erant tempora, facile duci poterat, ut permitteret ea in hoc Regno evulgari, nunquam tamen eo erat ingenio, ut in alicujus personam probra & calumnias jactare vellet, cujus generis in libro illo continentur quamplurima.

Deinde in explanatione secundi statuti Comitiorum fit mentio M. Andreæ Meluini, & concionum ejus speciatim summa injuria damnatarum, ut factiosarum, & seditionem concitantium, cum ipsius Majestas multis vicibus veracitatem & fidelitatem illius expressis iudiciis perspexisset in omnibus eius consiliis & actionibus. Zelo quidem feruet, & corruptelas nullas ferre potest (quod summa temeritate a I ignem & salium ingenium retuli) quod verum esse ipsius Majestatis experientia comperit. Nam probat virum, & novit omnia quibus gravatus erat, fuisse machinationes falsò & veteratorie instructas.

In secundo parliamenti statuto continentur aliæ vatiæ & fictæ inventiones ad ministrorum famam lacerandum, & conflandum illis invidiam & odium Regis & Nobilium, quibus falso insimulantur seditionis & aliorum criminum a quibus procul absunt. In eodem statuto eiusque explanatione asseritur summam & supremam potestatem in rebus ecclesiasticis Regi competere, quod iure damnandum & inter Acta Christianorum comprehendi non debet, apud quos verbi potestas evehenda est supra omnium Principum potestatem, cui etiam ipsi subiiciendi sunt.

Quartum statutum damnat presbyterium tanquam forum legibus Regni non approbatum, quod est argumentum pusillum. Nam quod ad Presbyterii authoritatem habemus eam expressim in Euangelio secundum Matthæum cap. 18. ubi Christus Ic præcipit Dic ecclesiæ: qua authoritate a Christo imperata, si de eadem interdixerint Comitia, parendum est Deo potius quam hominibus. Et tamen presbyterio nunquam defuit etiam Regis authoritas & approbatio inde ab initio, nisi hora illa tenebrarum, quando pravo consortio delusus erat. Si quid aliud continetur in statuto contra ordinem aut procedendi rationem in presbyterio, contra censendum est nihil actum in presbyteriis absque prudentia, consilio, & iudicio, atque

atque ita ab Eccleſia denuo approbata ſunt : quæ etiam intelligo ipſius Majeſtatem approbaſſe & rata habuiſſe : quæ ratio ſatis valida eſt ad obſtruendum ora curioſis qui culparunt, vel poſthac culpaturi ſunt.

Poſtremo ſtatuto continetur epiſcopalis muneris confirmatio, quod omni authoritate verbi Dei deſtituitur, & ſolum politico hominum commento fundatur, ex quo primatus Papæ ceu Antichriſti ortus eſt, & merito damnandum eſt. Quia cœtus preſbyterii penes quem eſt iuriſdictio & inſpectio tum in viſitationibus tum in ordinationibus hæc ipſa peraget munia maiore authoritate, pietate, & zelo, quam epiſcopus aliquis, cuius ſollicitudo ut plurimum intenta eſt non in Deum aut functionem, ſed mundum quem præcipue colit. Perpende quo pacto uſurpatum fuit hos annos quingentos proxime elapſos, quanta crudelitate & tyrannide eo ipſo functi ſunt, & comperies fuiſſe præcipuum ſupprimendi in quocunque regno verbi Dei originem, quod cuiuis Hiſtoriam eccleſiaſticam luſtranti liquido conſtabit. Quod ad meam ipſius ſententiam attinet, videtur proxime adveritatem accedere, & ab omni ambitionis genere remotiſſimum, quod fratres inter ſe gradu æquales ſeipſos convocent ſub capite ipſorum Chriſto, & ibi quiſque ſollicite fungatur munere ſuo, ſicut illi impetratum eſt. Et quoniam imbecillitas memoriæ & morbus non ſinunt me de rebus hiſce prolixius diſſerere, ut vellem, obſecrare oportet lectorem benignum, ut ſibi perſuadeat me hæc ſcripſiſſe non ullo modo coactum aut ullius perſuaſionibus inductum, ſed animo integro : eaque tracta, diſſe perfecta animi ſinceritate, quantum ferre poteſt carnis & ſanguinis infirmitas, ſicut de me ſententiam feret Deus die noviſſimo : & ut idem lector cenſeat quæcunque omiſſa ſunt imputanda eſſe imbecillitati memoriæ & morbo quo teneor, non voluntati, quam proteſtor fuiſſe ut damnarem ſingulos articulos, uſque ad ipſam fabulam de convivio : & omnia alia quæ in parvulo illo tractatu inſcripto Regiæ Majeſtatis intentio, reliqua ſunt ; prout & agnoſco judicio & cenſura eccleſiæ merito damnanda eſſe, cui me ſubmitto in quacunque re ; quam verbo, aut ſcriptis, in dicta illa Declaratione, aut alio quovis modo attentavi : Repræſentatis hiſce ſcriptis, manu mea ſubſignatis Andreapoli duodecimo Maii 1591. coram his teſtibus Magiſtro Davide Blackio Miniſtro Andreapolitano, Magiſtro

ſtro Roberto Wilkio primario Gymnaſii, S. Leonardi. M. Iohanne Æ-tono Emnathio, M. Guilielmo Ruſſello.

Sic ſubſcribitur

Patricius Adamſonus.
Mr. David Blackius teſtis.
Mr. Iohannes Authinſleckius.
Patricius Guthirius.
Georgius Ramiſæus.
Guilielmus Lermuthus.
Carolus Watſonus ſcriba.

Ego Magiſter Patricius Adamſonus declaro confeſſionem iſtam & declarationem ante ſcriptam eſſe meam confeſſionem, corde traditam & manu ſubſcriptam: coram his teſtibus infra ſcriptis, atramento ſubſcribentib. meo rogatu Andreapoli Iunii 10. anno Domini 1591.

M. P. Adamſonus.
David Carnagius Colluthius teſtis.
Guilielmus Scotus Abbatiſhallius teſtis.
Alexander Brucius Erliſhallius teſtis.
N. Borthuickius Gordoniſhallius.
M. Guilielmus Ruſſellus.
Guilielmus Lermuthus.
Thomas Kingzous.
M. Robertus Wilkius.
M. Andreas Moncriſius.
M. David Blackius.
M. Andreas Hunterus ſcriba Synodi Provincialis.

CELSÆ

CELSAE COMMISSIONIS ANATOMIA.

HIS gradibus Pſeudoepiſcopi Scoticani aſcenderunt ad tyrannicæ dominationis faſtigium. 1. Dederunt Regi operam, ut in Synodo generali prævalerent ſententiæ de amplectendo jure ſuffragii in Comitiis Regni. 2. Illorum conſilio, & opera ſublata eſt poteſtas indicendi Concilia Nationalia ſingulis annis ſemel, aut ſæpius pro re nata, ut facilius ipſi invaderent in jus illud ſuffragii, & ſimul in Epiſcopatuum reditus. 3 Spretis cautionibus, & legibus præſcriptis de ineundo & obeundo munere illo in Comitiis, ipſi inierunt & obierunt pro libitu, ſublatis jam Synodis ordinariis, quibus rationem reddituri eſſent, & ſuſcepti & adminiſtrati munetis. 4. In conventu quodam agitato Limnuchi, quem ipſi non agnoſcent fuiſſe Synodum Generalem, decreverunt ſibiipſis præſidentiam perpetuam in preſbyteriis claſſicis, ubi ipſi fungebantur munere paſtorali: eamque extorſerunt invitis preſbyteriis, libellis poenam rebellionis minantibus: eandemque affectarunt in Synodis Provincialibus virtute ſuppoſititii canonis illius pſeudoſynodi, ſed repulſam tulerunt. 5. Armati ſunt poteſtate celſæ Commiſſionis, id eſt poteſtate utriuſque gladii, temporalis & ſpiritualis, incarcerandi, mulctas imponendi, excommunicationem decernendi, miniſtros exauctorandi: cum tamen eſſent tantum ſimplices preſbyteri & rurales fere omnes, exceptis duobns aut tribus preſbyteris urbanis. Nam etſi a vulgo appellati ſunt epiſcopi, quia poſſidebant veterum epiſcoporum reditus, erant tamen officio tantum ſimplices preſbyteri, cum armati ſunt poteſtate & temporali, & ſpirituali in alios ſympreſbyteros. 6. Cum ad tantum potentiæ jam evecti eſſent, ut facile in Pſeudoſynodo aliqua dominari poſſent, Synodus generalis convocata eſt Glaſcuæ an. 1610. ubi poteſtatē omnem ordinationis & juriſdictionis ſibi obnoxiam fecerunt. Nominati ſunt a Rege, qui convenirent ad pſeudoſynodum illam: qui convenerant auro & muneribus a manu, fere omnes corrupti erant: aderat

Regis ſatellitiũ in terrorem, ſi quis obluquuturus eſſet. Epiſcopi Domini parlamentarii, & Regi a conſiliis in ſecretiore Senatu, Patroni beneficiorum complurium, ſtipendiorum modiperatores, & nuper armati poteſtate utriuſque gladij in omnes ſubditos nedũ miniſtros, præfuerunt: quis igitur in turba illa ab ipſis de induſtria delecta hiſcere jam audebat: qui cordati erant jam ante vel in carcerem conjecti, vel læſæ Majeſtatis damnati, vel in exilium pulſi, vel ad extremas oras relegati, vel non vocati, ceu delecti erant. Sed redeamus ad quintum de quo diſſerere paucis inſtituimus.

Anno 1610 menſe Februario publico præconio promulgata eſt poteſtas delegata juriſdictionis in cauſis eccleſiaſticis. Inſequuta eſt pſeudoſynodus Glaſcuenſis eodemanno menſe Iunio. Delegata eſt poteſtas juriſdictionis duobus Archiepiſcopis & epiſcopis aliis, epiſcopis non epiſcopis, id eſt epiſcopis nomine tenus ratione beneficii, ſed non epiſcopis ratione officii, & quibuſdam aliis tum miniſtris, tum ſæcularibus. Conſtitutæ ſunt duæ Curiæ, quarum uni præſideret Georgius Gladſtonus vulgo dictus Archiepiſcopus Andreapolitanus: alteri præeſſet Iohannes Spottiſuo lius vulgo dictus Archiepiſcopus Glaſcuenſis. Illi data poteſtas in unam provinciam, nempe veterem illam, quæ ſub papata erat ſubdita Archiepiſcopo Andreapolitano, id eſt in diœceſin ſuam, & dioeceſes octo ſuffraganeorum epiſcoporum veteris illius Provinciæ. Iſti in Provinciam veterem ſub litam Archiepiſcopo Glaſcuenſi, id eſt ſuam dioeceſin, & dioeceſes trium ſuffraganenrum illius Provinciæ veteris. Anno 1615. poſt obitum Gladſtoni, & evectionem Iohannis Spottiſuodii ab Archiepiſcopatu Glaſcuenſi, ad archiepiſcopatum Andreanum, & Iacobi Lai ab epiſcopatu orcadum ad Archiepiſcopatum Glaſcuenſem renovata eſt Commiſſio, ceu delegata poteſtas; & duæ Curiæ conjunctæ ſunt, & conflatæ in unã: hoc prætextu, quod abſente uno Archiepiſcoporum delinquentes in ipſius Provincia evaderent impune, vel ſaltem neceſſario differenda eſſet poena in reditum Archiepiſcopi, ſi non illo abſente Archiepiſcopus alterius Provinciæ eſſet armatus poteſtate in eundem delinquentem. Ac ſi nulla eſſent judicia eccleſiaſtica aut ſæcularia legibus conſtituta ad irrogandum poenas abſente Archiepiſcopo. Vbi prius citati comparere minori labore potetant in curia ſuæ Provinciæ, jam oportet longiſſimum iter confictere ab extremis oris ad vnam hanc Curiam, non ſine magnis ſumptibus & diſpendio rei familiaris, forte etiam ob nullam culpam, niſi quod nolunt geniculari in ſacra cœna, aut ſimile quid. Anno 1619.

pote-

poteſtas hujus Curiæ renovata eſt, & animadverſio in delinquentes in paraſynagma Perthenſe celebratum Anno 1618. ſpeciatim imperata eſt.

Etſi delegati judices partim eccleſiaſtici partim ſæculares ſint numero quinquagintaquinque aut 56. Catalogo inſcripti, unus tamen Archiepiſcopus poteſt aſſumptis ſibi e numero quinque, ſive ſæcularibus, ſive eccleſiaſticis, ſive partim ſæcularibus, partim eccleſiaſticis, conſtituere Curiam, & exercere omnem delegatæ juriſdictionis poteſtatem aliis abſentibus, imo nec prænomitis vel citatis. Dicis cauſa tantum ſunt quidã nominati, quibus revera diſplicet illa curia, & quos archiepiſcopi abſentes quam præſentes eſſe mallent. Tot ſunt delegati, ut ex delegatorum numero ubivis delectum faciant eorum qui ipſis arridēt, vel ſaltem præſentiam negare non audent. Poſſunt aſſumere duo Archiepiſcopi quinque alios epiſcopos ſibi ſocios: nam decem Epiſcopi ſunt deſignati in catalogo. Poſſunt aſſumere tres officiales, ceu commiſſarios, & alios duos laicos. At abſque Archiepiſcoporum alterutro ſeparatim aut utroque conjunctim non poſſunt alii omnes conſtituere plenarium judicium: etſi Catalogo inſcripti ſint cancellarius, Quæſtor primarius, Qui a ſecretis epiſtolis primarius, & quidam Nobiles. Archiepiſcopus unus neceſſario requiritur ut ſine quo non, nec ſolum ut interſit, ſed etiam præſit. Qui præſident Archiepiſcopi in celſa commiſſione coniunctim vel ſeparatim, olim erant ſympreſbyteri in uno preſbyterio claſſico, & coniunctim, & ſeparatim profani, coniunctim ſubiiſſent cenſuram ſuſpenſionis ab officio, in Synodo Lothiana, niſi obſtitiſſet quorundam indulgentia. Sed videte quorſum evaſit lenitas, & quo fato conſtituti ſunt Domini dure dominantes in eccleſiam nimis indulgentem, ſicut ſæpius mammothrepti in matres molliter educantes.

Emittuntur edicta citationum nomine Archiepiſcoporum, & ſociorum, obſignanturque ſigillo, cui Archiepiſcopatuum inſigna impreſſa ſunt. Sinon comparuerit is cui legitime denunciata citatio, tenentur ipſis monentibus, & mandãtibus, præfecti provinciarũ ceu vicecomites, præfecti & tribuni civitatum, præfecti ſatellitum, ſubcenturiones, aliique legum miniſtri manum iniicere, prehendere, & vi in iudicium trahere.

Poſſunt delegatam hanc iuriſdictionem exercere in omnes omnium ordinum cives, nobiliſſimum & illuſtriſſimum quemque, aut ex infima plebe, vnus Archiepiſcopus cum duobus archidiaconis, & tribus officialibus

ficialibus ceu Commiſſariis : idque in omnibus cauſis eccleſiaſticis. Sunt autem cauſæ eccleſiaſticæ ſecundum hierarchicorum interpretationem, omnia delicta Canonica, quæ ſibi tanquam propria vendicavit papana eccleſia, vt patet ex tabula Hierarchiæ Anglicanæ : nempe blaſphemia, hæreſis, ſchiſma, error in articulo aliquo religionis, idololatria, ſimonia, ſortilegium, abſentia a ſacra liturgia diebus feſtis & Dominicis, ſubornatio perjurii, inceſtus, adulterium, ſtuprum, fornicatio, ſollicitatio alienæ pudicitiæ, matrimonium clandeſtinum, percuſſio clerici. In commiſſione renovata anno ſuperiore comprehenduntur omnes cauſæ his duobus capitibus, offendiculo in doctrina, vel moribus & vita. Specialim vero ad muniendam ſuarum pſeudoſynodorum authoritatem graviſſimis delictis annumerantur obloquium, & ſcriptitatio in ſuorum paraſynagmatum decreta & conſtitutiones. Poſſunt igitur iſti ſex judicare in cauſis fidei doctrinæ, diſciplinæ, & ceremoniarum, virtute hujus delegatæ poteſtatis & in iiſdem cauſis juriſdictionem exercere in totum preſbyterium, imo in integram Synodum. Majeſtas Regia in tractatu quem ſcripſit Limnuchi anno 1585. inſcripto, Declaratio Actorum parliamenti anni 1584. aſſeruit non licere ſibi aut ſucceſſoribus hanc juriſdictionem ſibi vendicare, nec unquam ſe vendicaturum eſſe declaravit. Quæ mea declaratio inquit Majeſtas Regia tantæ erit authoritatis, quantæ ſtatutum ipſum. Anno 1592. Comitiorum Regni ſtatuto decretum eſt, ut ſoli conventus eccleſiaſtici eſſent judices in doctrinæ & diſciplinæ cauſis, ſicut diſerte cavetur in eo ſtatuto ex publicis tabulis deſcripto, & a Regia Majeſtate ad Synodum generalem anno 1593 miſſo, quod eodem anno typis excuſum eſt. In eodem ſtatuto, prout tam inter alia extat, abrogata eſt poteſtas juriſdictionis in cauſis eccleſiaſticis delegata pſeudoepiſcopis & aliis ſæcularibus ſtatuto anni 1584. Nullo vnquam Comitiorum decreto noſtris, qui jam ad gubernacula ſedēt invita eccleſia, pſeudoepiſcopis demandata eſt Celſæ commiſſionis poteſtas, & tamen abſque legibus regni vel conſenſu & Canonibus eccleſiæ iſtam poteſtatem exercent, graſſanturque impune in pios & fidos paſtores, & breviter graſſatur videntur in ipſorum greges.

Poſſunt in delinquentem ſecundum ipſorum interpretationem, excommunicationis cenſuram decernere, & delinquentis paſtori imperare, vt ferat, & denunciet ſententiam ſub poena depoſitionis. Si cuis paſtor obſtrepere paraſynagmatum ſuorum decretis conatus fuerit, ſive ſcriptis, ſive pro concione, munere paſtorali deſtituere poſſunt vi hu-

jus

ius delegatæ potestatis. Si excommunicationem decernere possunt, ipsam sententiam ferre & gladium illum spiritualem vibrare possunt & exercere. Qui potest infligere pœnam per decretum potest etiam per sententiam Ideo quandoque ipsi delegati iudices in celia comissione Anglicana delinquentes excommunicarunt. Statuto anni 1592 excommunicatio, & aliæ censuræ conventibus solis ecclesiasticis adiudicantur. Potestas omnis Ecclesiastica, est vel ordinis vel iurisdictionis, utramque negat Principi Episcopus Ettensis in Tortura Torti, & Fildus de Ecclesia lib. 5. cap 53. qui asserit principem excommunicationis censuram nec per legem, nec per sententiam irrogare posse, ut pote qui leges non Canones condit. Deinde fatetur nullos, nisi pastores & duces spirituales in ecclesia posse judicialiter, ut utar eius verbis, quæquam à sacro hoc munere submovere. Qui deinde tuetur potest, etiam instituere potest. Nam eiusdem juris sunt, recut actus & distractus. Episcopus Rossensis in defensione Barclaij contra Bellarminum lib. 2. cap. 15. ait Salomonem de facto Abiatharem mortis reum pronunciasse, & in Anathoth relegasse, & ex consequenti sacerdotio privasse. Erat Abiathar civiliter mortuus, & ita exclusus ab exercitio sacerdotalis officij: & proinde ex consequenti tantum, & secundario, exauctoratus sacerdotali officio à Salomone. Maiestas Regia asseruit in disputationibus publicis Andreapoli anno 1617. Reges non posse primario exauctorare pastores, sed secundario, utpote proscribendo, relegando, incarcerando. Si igitur Rex ipse non potest excommunicationis pœnam, vel per legem, vel decretum, vel sententiam irrogare; aut pastores suspendere ab officio vel exauctorare, quo iure possunt delegati isti iudices easdem censuras, & pœnas irrogare. Nemo enim potest plus iuris in alium transferre, quam ipse habet. Dicent forte se habere potestatem demandatam ab Ecclesia. Sequitur igitur istam potestatem non esse delegatam à Rege, sed tantum permissam, non autem commissam & proprie non erit Celsa commissio iurisdictionis in causis Ecclesiasticis, sed tantum permissio. Deinde quarto, an non omnes Episcopi erant simplices presbyteri, & quidem omnes fere rurales ut prius dixi, cum demandata est illis potestas ista excommunicationis suspensionis & deprivationis anno 1610. Rex ergo armavit simplices presbyteros potestate censurarum in sympresbyteros, & omnes alios professores: neque tradidit illis Ecclesia potestatem illam. At postea tamen dices ipsius Ecclesiæ consensu concessa est illis potestas ordinis & iurisdictionis in alios, nempe

in Synodo Glaſcuenſi anno 1610. Reſpondeo primo nos non agnoſcere illud paraſynagma eſſe legitimum Eccleſiæ conventum aut liberum, ob rationes ſupra dictas. Deinde detur fuiſſe liberum, & legitimum, tamen certis legibus, & caſibus tantum poteſtas utraque illis obnoxia reddita eſt. Nempe ut excommunicationis ſententia non ferretur abſque Epiſcopi conſenſu, non autem ipſi tradita poteſtas excommunicandi motu proprio, aut peculiari poteſtate aliqua. Sic ordinatio paſtorum ſecundum illud paraſynagma non erat peragenda abſque Epiſcopo, non tamen illi tradita poteſtas ordinandi, quos & quando vellet. Nemini tradita poteſtas in presbyteros alienæ, ſed tantum ſuæ diœceſeos, nec ſine ſociis aliis presbyteris illius regionis aut ditionis, ubi delinquens munere fungitur; quos, illi qui convenerant in illa pſeudoſynodo, putabant fuiſſe ordinariũ cœtum plesbyterij claſſici: Non audebant diſerte exprimere vocalem presbyterij dictatam à ſpiritu ſancto in ſacris tabulis, quia Regi ingrata erat ut volebant Epiſcopi. Ergo ſecundum ſenſum Synodi non poſſunt exercere poteſtatem Epiſcopi niſi in ſuæ Diœceſeos presbyteros cum conſenſu presbyterij; vel ſecundum ipſorum ſenſum fallacem & doloſum, non abſque conſcientia & conſenſu ſympresbyterorum illius loci, ubi reſidet delinquens. Quod unus vel duo Archiepiſcopi cum duobus Archidiaconis & tribus officialibus, aut ſacularibus aliis, imo vel cum omnibus coepiſcopis hanc poteſtatem exercerent, vel in Paſtores vel profeſſores, ne ſomniarunt quidem: nec de Archiepiſcoporum aut primatu aut poteſtate verbum unicum, ſed altum ſilentium. Denique ſecundum ipſorum hierarchicorum principia epiſcopus non poteſt exercere actum iuriſdictionis in ſubditos alienæ diœceſeos. Si baptiſaverit, ſi ſacram cœnam celebraverit in aliena diœceſi, vel alienis, manent tamen vera ſacramenta, quia hæc manent à poteſtate ordinis: ſed ſi excommunicaverit, ſuſpenderit, functione paſtorali ſubmoverit alienos, hi actus à poteſtate iuriſdictionis manantes ſunt ipſo jure nulli & irriti. At in Celſi commiſſione poteſt abſente uno Archiepiſcopo, aut Epiſcopo, quem vocant ordinarium, alter Archiepiſcopus exercere in eius presbyteros & diœceſanos omnem iuriſdictionem Eccleſiaſticam. Cuius præclarum ſpecimen edidit Iacobus Laiis anno ſuperiore cum abſente Iohanne Spottiſuodio & in aula commorante interrogavit duobus Paſtoribus ſententiam ſuſpenſionis, virtute huius delegatæ poteſtat s. Dounamus defenſ. lib. 1. pag. 8. diſerte dicit Epiſcopos exercere iuriſdictionem Celſæ commiſſionis non quatenus ſunt

Epiſ-

Episcopi, nam alij inquit qui non sunt Episcopi eandem habent potestatem: sed quatenus sunt Regis delegati judices in causis Ecclesiasticis. Si igitur ista potestas delegata non fit ab Ecclesia, nec iudicio Ecclesiæ nostræ, neque secundum hierarchicorum principia, sequitur derivatam esse à Rege. At ut dixi non potest Maiestas Regia hanc iurisdictionem demandare.

Possunt delinquentes sive pastores, sive alios bonis mulctare, in custodiam tradere, relegare idque ad libitum. Possunt mulctam quantumvis magnam irrogare, usque ad ultimum quadrantem, possunt in custodia detinere ad vitam: nam nullis limitibus circumscribitur ista potestas. Ipsis monentibus & mandantibus tenentur custodes carcerum & custodiarum & commentarienses in omnibus provinciis, prout ipsis imperatum fuerit, delinquentes recipere, & tuto asservare, quandiu Archiepiscopo & suis quinque adessoribus, libitum fuerit. Ipsorum nutu, & iussu, tenentur Senatores Secretioris Senatus persequi refractarios pœnis rebellionis. Videtis igitur pseudoepiscopos nostros exercere potestatem utriusque gladij. Iacobus Laüs cum esset Orcadum Episcopus ratione beneficij vulgo sic dictus, interminatus est presbyterio Ieddburgeno his verbis: Veniã ad vos cum potestate utriusque gladij, cum nondum adhuc esset tam augusta delegatione armatus, qua nunc superbit, & impune cum collega suo Spottiswodio piis insultat. priorem potestatem non potest Majestas Regia illis tradere, quia ipse eandem nõ habet; posterioris ipsi non sunt capaces. Non sunt capaces imperij meri aut mixti. Non debent dominari, ut Reges gentium virga ferrea. Clavigeros non ensiferos constituit eos Dominus. *Virga discipulorum Christi, virga dilectionis est: virga qua est dominationis non est concessa ministris Euangelij pacis*, ait Rupertus Abbas in Matth. lib. 8. *Anne aliquam sibi a palatio dignitatem sumpserunt Apostoli: terret exilijs & carceribus Ecclesia credique sibi cogit, qua exilijs & carceribus credita est*, inquit Hilarius ad Auxentium. Arma nostra non sunt carnalia sed spiritualia inquit Apostolus. Pseudoepiscopi hac duplici potestate armati sunt multo potentiores ad opprimendum Ecclesiæ libertatem, Ecclesiamque funditus evertendum, quam unquam fuerunt sub Antichristo: & suffulti brachio seculari susque deque habent jus, fas, æquum, bonum, pacem, conscientiam cuiusvis, aut bonum Ecclesiæ. Quis audet obstrepere Bonifacianis istis prælatis utrumque gladium à Regia Maiestate illis traditum vibrantibus, aut dicere, quid ita facis? Hoc probe norunt & ideo tam secure, insolenter & tyrannice do-

ce dominantur. Quod alij seculares intersint, & hac ratione vis coactiva in bona & corpora adhiberi possit, forte contendent. At non necessario teneantur interesse vi Commissionis. Imo incarcerarunt quosdam soli Episcopi anno superiore virtute huius delegatæ potestatis. Præterea idem est sive soli, sive cum sæcularibus eam potestatem exercerent; nam illi sunt præcipui judices sine quibus non decernitur ulla pœna, & ista potestas est simpliciter interdicta pastoribus, sive in foro mixto, sive causis mixtis, sive in sphæra propriæ iurisdictionis spiritualis & judiciis mere Ecclesiasticis. In mixtis causis concurrere possunt duæ tam diversæ iurisdictiones in auxilium mutuum sed iudiciis ordine, & modo procedendi, censuris, personis, & fine distinctis manentibus. Quod una via prohibetur ad id alia quis admitti non debet secundum Regulam iuris. At interdicto Christi omnino removetur à tali subiecto omnis iurisdictio civilis, sive quoad materiam res civiles, sive quoad pœnas & censuras civiles. Ponatur adulterium & incestum non esse delicta pure canonica, sed mixti fori, ut legibus regni nostri sunt capitalia crimina: an proinde Ecclesiastica iudicia simul & in uno foro cum criminalibus stringent utrumque gladium: vel si pœna sit amputatio manus, aut fustigatio, an simul excommunicare & amputare vel fustigare possunt. Nolebant sub ipso papatu Ecclesiastici interesse judicijs, in quibus de pœna sanguinis, amputatione membri aut fustigatione decernebatur, quia sunt actus superioris iurisdictionis. At quæ ratio reddi potest, cur Ecclesiasticis competere possit potestas custodiæ & carceris, aut mulctas pecuniarias irrogandi, aut relegandi, magis quam vitæ & necis, aut amputationis & fustigationis. Non igitur licita mixta judicia sæcularia & Ecclesiastica: licet in sæcularibus duo diversa judicia commisceri possint in unum forum. Christus noluit ferre sententiam lapidationis in adulteram, etsi secundum legem erat mortis rea. Nicolaus papa in epistola ad Michaelem imperatorem habet hæc verba. *Idem Mediator Dei & hominum homo Jesus Christus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur.* Bernardus de consideratione lib. 2. *Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu & tibi usurpare audes aut dominatus Apostolorum aut Apostolicus dominatum. Forma Apostolica hæc est: interdicitur dominatio, indicitur ministratio.* Idem de consideratione lib. 4. *Quid tu denuo usurpare gladium tentes?*

tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam. Ibidem. *Vterque ergo ecclesia est & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro ecclesia, ille vero & ab ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, & jussum imperatoris.* Occamus de potestat. pontif. quæst. 1 c. 7. ait. *Dominativum modum regendi a potestatibus sæculi observandum Apostolis interdixit.* Hildebertus Cenomanensis epist. 40. *Membrum Christi Rex, membrum Christi sacerdos; gladius Regis censura Curiæ, gladius sacerdotalis ecclesiastica rigor disciplinæ.* Occamus de potestat. pontif. quæst. 1. cap. 4. *Potestates illæ quas Deus voluit distinctis personis competere non debent cadere in eundem.* Anselmus in Matth. 26. *Sicut non convenit Regibus quod ad Stolam pertinet, sic nec episcopus, quæ Regis sunt exercere debent.* Frivola igitur est exceptio, se non exercere potestatem istam gladii materialis, quatenus sunt episcopi, sed quatenus sunt Regiæ Maiestatis iudices delegati. Nam omnis limitatio fieri debet per id quod subjecto aut prædicato congruenter inest. Christus vult has duas potestates esse incompatibiles in uno subjecto ratione officii, cujus ratione subjecto & personæ, congruenter vtraque potestas inesse non potest. Cum a subjecto ipso removetur illa potestas civilis, officii & sacri muneris ratione, nulla alia via ad eandem potestatem perveniri potest. Non norunt dextre & commode vibrare gladium materialem ecclesiastici. An vnquam sævior tyrannis Papa Romano, cui imperatores & stulti cæsares tradiderunt gladium temporalem.

Obtendent constitutam esse istam Curiam duplicis potestatis, ne Senatus secretior, aut supremus iudicum consessus in causis civilibus avocarent causas ecclesiasticas a iudiciis ecclesiasticis, & intercederent, ne ad finem processus suos perducerent: quia inde sæpius evenit, ut flagitiosi impune evaserant. At an non facilius interdicere potuit Maiestas Regia, ne interturbarent ordinem ecclesiæ sancitum legibus Regni; quam alios constituere judices, qui majori sunt oneri & damno. Remedium morbo nocentius est. Si in Anglia episcoporum officiales quempiam excommunicaverint tenetur vicecomes prehendere excommunicatum, quandocunque denunciatum fuerit illi ab episcopo, scripto De excommunicato capiendo. Ibi brachium sæculare auxiliatur spirituali, etsi culpa forte sit levis. An non eadem ratione brachium sæculare fulcire debet authoritatem presbyteriorum legibus regni sancitam: saltem cavere debet pius Magistratus, ne impediantur in peragendo.

gendo ſuo munere. Præterea an remedium iſtud neceſſarium eſt, ut nulla alia ratione conſevari poſsit libertas Eccleſiæ quam armando eccleſiaſticos poteſtate dominativa, qua tanquam virga ferrea conterant vaſa Domini. Occamus de Poteſtate pontif. quæſt. 3. c. 2. ait quod *In favorem Eccleſiæ nihil injuſtũ ſtatui debet.* Tertio an unquá gratum ſunt Eccleſiæ remedium iſtud, ſed potius grave onus: quomodo ergo dici pot. ſt conſtituta eſſe curia illa in favorem, & commodum Eccleſiæ. Quarto annon archiepiſcopi præſides auguſtæ curiæ Celſæ commiſſionis, clavum tenent, & ſoli dominantur in Synodis & presbyteriis. An non ſibi vendicant virtute Canonis Glaſcuenſis pſeudoſynodi examinationem proceſſuum, eorumque terminationẽ. In quem finem igitur avocarent cauſas à presbyteriis & Synodis, ubi pro arbitrio ipſi iuriſdictionem exercent. Annon ergo prætextus iſte avocationum, & advocationum, eſt merum ludibrium. Quinto appellationes omnes regulariter gradatim aſcendere debent ab inferioribus ad ſuperiora judicia, & proinde ſecundum conſtitutionem diſciplinæ noſtræ, à particularibus eccleſiis ad presbyteria claſſica, à presbyteriis ad Synodos provinciales, à ſynodis provincialibus ad Concilia Nationalia. An unus Archiepiſcopus & quatuor aut quinque adſeſſores ſunt majore authoritate, pietate, & prudentia præditi, quam numeroſus presbyteriorum cœtus, in quo ipſe etiam primas & præcipuas partes ſibi vendicat, & ubi Epiſcoporum nutu & impetio omnia geruntur. Sexto an non abſque ulla provocatione seu appellatione poteſtatem habent avocandi & advocandi cauſas: imo an non arripiunt ſibi iuriſdictionem in cauſis eccleſiaſticis nunquam ante agitatis in foro eccleſiaſtico, & ſunt quotieſcunque libet, iudices primæ inſtantiæ. Eſſne iſtud mederi advocationibus, præripere cauſas prima inſtantia. Cum ſuorum paraſynagmatum canones obtrudunt invitis Eccleſiis, an canonum temeratores plectunt in presbyteriis, & Synodis, ordinariis Eccleſiæ judiciis An non horum examen & conſcientiam refugiunt, quia probe ſibi conſci ſunt exoſa eſſe illis ipſorum paraſynagmata, eorumque decreta, & auxiliatem illis operam navare nolle in exauctorandis paſtoribus ob ipſorum conſtitutiones. Præclara ſane Concilia, quæ nolunt ſubiicere examini Synodorum & presbyteriorum, ſed prætermiſſis ordinariis Eccleſiæ iudiciis confugiunt ad Celſam illam Curiam ſecularem tanquam arcem munitiſsimam ubi gnaviter & ſtrenue ſuos gladios duplices ſtringunt, & quos libet feriunt. Ibi rata habent, & haberi volunt, quæcunque rata habe-

haberi in animum induxerunt, vel majestas regia imperaverit. Sunt rei, & tamen sedent ibi judices, actores, tabelliones in sua causa. Iste est verus & proprius usus huius delegatæ iurisdictionis, ut obtrudant ecclesiis quoscunque volunt ritus, imo etiâ dogmata, si libitum fuerit. Hæc est illa potestas quæ munit usurpatam ipsorum authoritatem. Quis enim vel in presbyteriis vel Synodis vel Conciliis Nationalibus illis obstrepere audet, aut libertam ferre sententiam, cum extra & supra omnia ecclesiæ concilia & judicia armati sint duplici vindicta, & potestate in omnes subditos. Spottiswodius summus curiæ præses, episcopatus investituram a Rege habet, & multorum flagitiorum infamia flagrat, quid non tyrannice exiget, si Majestas Regia imperaverit. Intuemini igitur præclarum ecclesiæ Scoticanæ regimen, vel potius Hispanicæ inquisitionis imaginem.

Qua ratione potest Majestas regia constituere unam Curiam delegatorum iudicum, potest etiam duas ut anno 1610. potest etiam tres, centum, mille, & ita in singulis paraciis, presbyteriis, Synodis erigere curias extraordinarias, quæ vendicent sibi omnes causas ecclesiasticas & tollant, atque evertant ordinaria ecclesiæ judicia. Et qua potestate potest delegare plures iudices, potest unum tantum. Nam nulla hic est regula, aut fixa lex sed absoluta potestas in delegante, & vastissima potestas & exorbitans in delegatis, qui nullam certam normam, nullas præscriptas leges observant, sed poenis arbitrariis delinquentes castigant.

Ordines regni in Comitiis absque summa iniuria in Christum, in ecclesiam, in subditos, illegitimam istam utriusque gladii potestatem ratam habere, aut pastores & oves lupis committere, non possunt.

FINIS.